PRODROMUS

IN

LEXICON
HEBRÆO-CHALDÆO-BIBLICUM.

Quo Commentarius etiam perpetuus, & Clavis

SACRÆ SCRIPTURÆ

CONTINETUR.

ORDINE ENIM ALPHABETICO EXHIBET

PRIMO.

Tum *Radices Hebreas*, & *Chaldeas*, tum omnes alias Voces *Primitivas*, *Derivativas*, & *Formas* unà cum *Præfixis*, & *Affixis* in Sacro Codice Veteris Testamenti occurrentes.

SECUNDO.

Exhibet 18600. integros Versiculos Hebræos cum sua Interpretatione Latina: Omnes etiam Versiones, quæ in Bibliis Polyglottis habentur: Versiones Hieronymi, Persicam, & Pagnini, nec non & Thargum Rab. Jonath. *BEN-UZIEL*.

TERTIO.

Annotationes tam respectu Linguæ, & Idiotismorum Hebræorum, quàm respectu sensus singulorum versiculorum, qui in hoc opere interpretantur.

QUARTO.

Sufficientem Analysim Grammaticam in singulas voces Alphabeticas, in usum eorum, qui Linguam Sanctam proprio Marte discere voluerint.

AUTHORE

P. D. CASIMIRO CORREALE,

SURRENTINO,

Sacri, atque Regalis Archicœnobii Casinensis Professo.



NEAPOLI MDCCLXIII.

EXCUDEBAT JOSEPH RAYMUNDUS

SUPERIORUM FACULTATE.

PRÆFATIO

AD BENEVOLUM LECTOREM

Et Scopus Auctoris.



Um primùm animum ad scribendum contuli, illud unum ob oculos habui, quo pacto possem, quâ viâ studiosæ Juventuti ferre opem, ut difficultatibus præcipuis amotis, promptior, expeditiorque fieret in Lingua Hebræa addiscenda, quæ quantæ sit utilitatis, imo & necessitatis pro vera Sacrarum Scripturarum intelligentia, verbis demonstrare non est opus, cùm uno ore fateantur Eruditi omnes, in primisque Sanctus Hieronymus, qui in Comment. in cap. 22. Jer. inter alia hæc habet: *Et cætera, quæ ita inter se dissipata sunt, atque confusa, ut absque veritate Hebraicæ Lectionis nullam intelligentiam habeant*. Et in Epistola ad Suniam, & Fretelam: *Sicut autem in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci Sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos, Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis*. Cur verò Septuaginta Interpretes omnia loca Hebraica dilucidè in Græcum non transtulerint, rationem assignat idem Hieronymus in Procemio quæstionum, sive Traditionum Hebraicarum in Genesim, his verbis: *Neque verò Septuaginta Interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus: nec nostrum laborem illorum reprehensionem putamus: cum illi Ptolemæo Regi Alexandriæ, mystica quæque in scripturis sanctis prodere noluerint, & maxime*

ea , quæ Christi Adventum pollicebantur ; ne viderentur Judæi , & alterum Deum colere : quos ille Platonis Sectator magni iccirco faciebat , quia unum Deum colere dicerentur.

Et quia experientiâ propriâ cognoveram id , quod Tyronibus vehementer negotium facessit , præcipue positum esse in investigatione Thematis , in quam tanquam in scopulum illidentes , fracti animo , ulterius progredi non audent ; operæpretium me facturum arbitrabar , si Lexicon Hebræo-Alphabeticum ad instar Lexici Schreveliani in gratiam Juventutis componerem , in quo omnes voces , atque eodem modo , quo in sacro Codice continentur , exhiberem , adjunctâ singulis earum suâ Interpretatione Latinâ . Operi manum admovi , laborabam , crescebat opus ; quod , ni me mea fallit opinio , suam hoc etiam modo habuisset utilitatem ; nam licet præstantes doctrinâ viri , Gulielmus scilicet Robertsonus , Joannes Leusden , Marinus Brixiensis , & Henricus Opitius hoc idem argumentum eruditissimè pertractarunt ; quoad dispositionem tamen Vocum singularum , ut ex inferius dicendis patebit , non erant cum hoc Opere comparandi .

Sed , sicut Deo Opt. Max. (qui dat *Velle* , & *Perficere*) placuit , aliud mihi venit in mentem , nempe istiusmodi Lexico eos tantummodo posse uti , qui Linguæ Sanctæ operam dare vellent , eosdemque sterilem , ut ita dicam , inde percipere posse cognitionem ; cœteris verò nihil esse inde sperandum . Quare rebus maturè perpensis , aliam mihi ineundam esse rationem cognovi , si Literariæ Reipublicæ , quod mihi erat in votis , gratificari cuperem . Deterrebant me tamen nimius labor , fracta jam valetudo , & ingravescens ætas, maxime quia unus non sufficit omnibus .

Hoc ut intellexit Illustrissimus , ac Reverendissimus Pater Dominus Antonius Capece hujus Sacri , atque Regalis Archicœnobii Abbas , statim modis omnibus , librorum scilicet copiâ, Amanuensium auxilio , adhortationibus continuis, omnique majori , quo poterat studio , me juvare cœpit , ut ab

ab inæpto labore non desisterem ; idque non modo propter ingentem ejus erga me benevolentiam, quâ à teneris unguiculis, ut Græci dicunt, me prosecutus erat, verumetiam ut hujus Monasterii Alumnos incitaret ad conjungendum cum Philosophicis, Theologicisque Disciplinis etiam Linguas Orientales. Stantibus his, quid facto opus erat? Debebam respicere retrò, postquam misissem manum ad aratrum? Debebam admonitionibus ejus dare locum, qui fuit olim meus MAGISTER, (ipsi enim debeo Theologiæ Dogmaticæ studia), nunc verò ET DOMINUS? Absit: Religio semper mihi fuit ad ejus me conformare voluntatem, à quo sine ingrati animi notâ dissentire non poteram; & quia tanta est magnitudo suorum in me meritorum, ut pro ipso vitam profundere non dubitaverim.

Rebus igitur ita se habentibus, nullam in novo excogitato opere suscipiendo interposui moram, in quo quid postea præstiterim, ex sequentibus Prolegomenis, & Capitulis facile intelliges. Sit igitur:

PROLEGOMENON I.

De Literis, sive Consonis.

Licet una litera, sive consona cum suis punctis vocalibus conjuncta, integram in lingua Hebræa non constituat vocem, necesse fuit tamen de singulis seorsum sumtis, atque ordine Alphabetico, pauca dicere: Puta, quænam sit singularum Figura: Quodnam nomen: Quænam pronunciatio: Quare sic dictæ: Quando sint Heemanthicæ: Quando Characteristicæ, sive Formativæ Conjugationum, & temporum: Quid præstent cùm aliis vocibus sunt præfixæ, vel affixæ; Quando sint Relativæ: Quando Interrogativæ: Quando Euphonicæ: Quando Emphaticæ: Quando Locales: Quando Paragogicæ: Quando Copulativæ. Quando Conversivæ; ac tandem quænam sit singularum potestas in numeris.

LI-

LITERARUM HEBRAICARUM.

Numerus, & Ordo	Figura.	Nomen.	Pronunciatio.
1	א	אָלֶף Aleph	Spiritus tenuis, ſive lenis (') Græcorum. idem quod Græc. χ
2	ב	בֵּית Beth, *vel* Bheth	bh. *Cum puncto* בּ b.
3	ג	גִּימֶל Gimel, *vel* Ghimel	gh גּ g.
4	ד	דָּלֶת Daleth, *vel* Dhaleth	dh. דּ d.
5	ה	הֵא He	h.
6	ו	וָו Vau	v.
7	ז	זַיִן Sain, *vel* Zain	ſ. *Alii* z.
8	ח	חֵית Heth, *vel* Cheth	h. *Alii* ch.
9	ט	טֵית Teth.	t.
10	י	יוֹד Jodh, Jod, Joth	j.
11	ך כ	כַּף Kaph, *vel* Chaph	ch. כּ k.
12	ל	לָמֶד Lamedh, *vel* Lamed	l.
13	ם מ	מֵם Mem.	m.
14	ן נ	נוּן Nun	n.
15	ס	סָמֶךְ Samech	ſ.
16	ע	עַיִן Hain, Aiin, Gnaiin	h. *Alii*, a. *Alii* Gn.
17	ף פ	פֵּה Pheh, *vel* Peh	ph. פּ p.
18	ץ צ	צָדֵי Tzadè, *vel* Tſadè.	tz. *Alii* tſ. ſ
19	ק	קוֹף Koph, *vel* Qoph	K. q.
20	ר	רֵישׁ Reſch, *vel* Reſc.	r.

Nu-

Numerus, & Ordo	Figura.	Nomen:	Pronunciatio.
21	שׁ	שִׁין Schin, *vel* Scin	ſch. *Alii* ſc. *Alii* s
22	שׂ	שִׂין Sin	ſ.
23	ת	תָו Thau, *vel* Tau	th. *Cum punćto* תּ t

PROLEGOMENON II.

De punćtis Vocalibus.

IN punćtis etiam vocalibus duo præcipue notanda fuerunt, quando ſcilicet unum commutetur cum alio ratione accentus, ut אָבָד *Abbàdb* cum Kametz (ָ) ſub ב pro אָבַד cum Pathach (-), ratione accentus Athnach (֑). Vel ratione literarum, ſive conſonarum, ut מְבָרֵךְ *Mebbarècb* cum Kametz (ָ) ſub ב pro מְבַרֵּךְ *Mebbarrècb* cum Pathach (-), & cum Dagheſch (·) in ventre ר, unde excluditur, & compenſatur per Kametz (ָ) vocalem longam ſub ב.

PROLEGOMENON III.

De Accentibus.

ACcentus verò, quod attinet, illos tantummodo obſervavi, qui inſerviunt, vel ad legitimam pronunciationem cujuſque vocis, ut חָנֵּנִי *Honnèni*, & non *Hannèni*. Vel ad diſtinćtionem ſententiæ in certa membra, & Periodos; ut אָבָד *Abbàdb* cum Kametz (ָ) ſub ב, quæ propter Accentum Athnach (֑) diſtinguit unum ſententiæ membrum ab alio, pro אָבַד cum Pathach (-), quæ non diſtinguit membrum Sententiæ, quia Accentu diſtinguenti caret.

CA-

C A P. I.

De Vocum dispositione.

N u m. I.

ORdine Alphabetico dispoſui voces omnes Hebraicas, & Chaldaicas, quæ in Sacro Textu continentur, ſive iſtæ ſint Radices, ſive ſint Voces derivatæ, & Formæ, vel Voces compoſitæ, quæ à Radicibus ipſis derivantur: ita ut ſufficiat noſſe tantummodo ordinem Alphabeticum literarum, ſive conſonarum Hebraicarum, (quod Spatio unius horæ addiſci poteſt) ad hoc ut inveniatur in hoc noſtro Lexico quælibet ex Vocibus, quæ in Sacro Textu continentur.

N u m. II.

Eodem Alphabetico ordine diſpoſui Voces omnes, quæ præfixam habent Literam ו. *Vau*, (quæ numerum conficiunt quindecim ferè millium), idque non tantum, ut facillime inveniri poſſint, ſed (quod utilius eſt) ut per earum Analyſim à Tyronibus cognoſcatur, quando prædicta Litera ו *Vau* ſit Copulativa, ut וְיֹאמַר Vejòmer, *Et dicet;* & quando ſit Converſiva, ut וַיֹּאמֶר Vaijòmer. *Et dixit:* Quâ etiam ratione habens ſub ſe Pathach (-), convertat Præteritum in Futurum, ut וַהֲרָגָנִי Vaharaghàni: *Et occidet me*, 3. Reg. 18. 12. Et futurum non convertat in præteritum, ut וַאֲדַבְּרָה Vaadhabberàh, *Et loquar*, Geneſ. 18. 32. Item, quare habeat ſub ſe punctum Kametz (ˇ), ut וָלֵב Valebh, *Et cor* 1. Paralip. 12. 33. Quare habeat punctum Tzere (¨), ut וֵאלֹהֵי Velohè, *Et Dii; Et Deus*, Geneſ. 24. 3. Et quare habeat punctum Sægol (∴) ut וֶאֱמוּנָה Veemunàh, *Et fides, veritas*. Pſalm. 118. 75. vel 119. 75. Quare etiam habeat punctum Chirec (·), ut וִידֻעִים Vidhuhìm, *Et noti*. Deuter.

ter. 1. 13. Et quare habeat punctum Schurek (וּ), ut וּבִנְךָ Ubhinchà, *Et filius tuus*, Exod. 20. 10. & וּלְאִמּוֹ Uleimmò, *Et matri ejus*, *ipsius*, *illius*, *suæ*, Levit. 21. 11. &c. quæ omnia ab aliis, tanquam superflua, ut dicunt, sed, ut ego opinor, potius, ut improbum laborem devitarent, sunt prætermissa.

Num. III.

Quamvis שׂ *Sin* proprie non sit litera Hebraica, sed irreptitia pro litera ס *Samech*, ut patet ex facto Ephratæorum. Judic. 12. Voces tamen omnes, quæ à litera שׂ *Sin* incipiunt, posui post voces incipientes à litera שׁ *Schin*, idque etiam, ut nullam pariant Tyronibus difficultatem, & facillime inveniantur.

Num. IV.

Item exhibentur Voces integræ, quæ utpote obscenæ ab Hebræis *honestatis causâ* commutatæ sunt cum aliis vocibus, ut עֳפָלִים Hapholìm, *Hæmorrhoides*, *marisca*, atque eodem tempore, servatoque Ordine Alphabetico, ponuntur suo loco Voces pro illis substitutæ, ut טְחֹרִים *Tehorìm*, quæ morbum denotat ani.

Num. V.

Exhibentur etiam Voces omnes Variantes, de quibus fusius Cap. X. Num. II. ut exempli gratia אָבוּר pro אָבֹר.

Num. VI.

Voces item omnes, quæ sunt cum Keri (◦) & Ketib,

 ex-

exhibentur, ut ſunt in Textu, atque ut habentur in Margine, de quibus etiam fuſius dicetur eodem Cap. X. Num. III.

N u m. VII.

Voces, quæ in Sacro Codice ſcriptæ ſunt iiſdem litteris, ſeu Conſonis; &, vel ratione diverſarum Radicum, ut בָּנוּ *Bànu* à Radice בּוֹא Bò *Venimus:* & בָּנוּ *Bànu* à Radice בָּנָה Banàh, *Extruxerunt*, *ædificarunt;* Vel ratione diverſarum ſignificationum unius, atque ejuſdem Radicis, ut בְּנוֹת *Benòth* à 1. ſignificatione Radicis בָּנָה Banàh, *Extruere*, *ædificare:* & à 3. ſignif. ejuſdem Radicis בָּנָה Banàh *Filiæ;* Vel ratione diverſorum punctorum vocalium, etſi ab eadem Radice, & ſignificatione, ut בְּנוֹ Benò, *Filius ejus*, *ipſius*, *illius*, *ſuus:* & בָּנָיו Banàu, *Filii ejus*, *ipſius*, *illius*, *ſui*, numeri pluralis; res diverſas ſignificant: omnes ſimul, atque columnâ eâdem exhibentur, uti habes in literis Ψ, φ: attributâ ſingulis ipſarum unâ ex literis Alphabeti Latini, pro cauſis aſſignandis Cap. X. Num. IV.

Ψ {
בָּאנוּ a. *Venimus.*
בָּנוּ b. *Extruxerunt*, *ædificarunt.*
בְּנוֹ c. *Filius ejus*, *ipſius*, *illius*, *ſuus.*
בָּנָיו d. *Filii ejus*, *ipſius*, *illius*, *ſui.*

φ {
בנות a. *Extruere*, *ædificare.*
בְּנוֹת b. *Filiæ*. Numer. plur.

N u m. VIII.

✠ Quia verò in hoc noſtro Lexico afferuntur integri Verſiculi Hebraici, & Chaldaici, ut dicetur Cap. VI. Num. I. & horum Voces neceſſariò excurrere debent uſque ad marginem;

nem; ne istæ aliquam parerent Lectori difficultatem; Voces omnes Ordine Alphabetico dispositæ (exceptis Radicibus, de quibus dicetur Cap. III.) notantur in margine cum uno Asterisco ✠, ut habes hic; ut hac ratione Voces Alphabeticæ à non Alphabeticis distinguantur.

C A P. II.

De Lectione vocum Hebraicarum Literis Latinis.

VOces singulæ, quæ Hebraicè leguntur juxta regulas traditas in Prolegomeno I, leguntur etiam literis Latinis, ut cognoscere possint genuinam ipsarum pronunciationem cùm Tyrones, tum qui Linguæ Hebraicæ non navarunt operam.

C A P. III.

De Radicibus.

N U M. I.

UNicuique Voci Ordine Alphabetico dispositæ sua tribuitur Radix, ex qua derivatur.

N U M. II.

Cùm verò una ex Vocibus Ordine Alphabetico dispositis plures habeat significationes, dicitur statim ex qua significatione Radicis Vox illa sit sumpta, ut habes in voce אָב a. *Abb:* Hoc modo innotescit ratio diversarum interpretationum, orta vel ex defectu punctorum Vocalium, sine quibus antea legebatur; Vel ex similitudine literarum: Unam enim, eamdemque vocem alii derivarunt, vel à diversa Radice, vel à diversa significatione unius, atque ejusdem Radicis, ut dictum est Cap. I. Num. VII. Vel legerunt cum diversis punctis vocalibus, ut habes in voce בְּרוֹשִׁים Bero-

 schìm,

ſchìm, *Abietes;* quam Septuaginta acceperunt à Radice ראש *Rôſch*, & legentes בְּרוֹשָׁם *Beroſchàm* cum Kametz (ָ) pro Chirech (ִ) ſub litera ש *Schin* in Pſalm. 103. 17. vel 104. 17. verterunt: *Dux eſt eorum*, acſi dicerent: *In capite eorum*.

Num. III.

✠✕✠ Cùm una ex Vocibus Ordine Alphabetico diſpoſitis ſit ipſa Radix, in margine ponuntur duo Aſteriſci per interpoſitas lineas in unum colligati, ut hic vides ✠✕✠ : Hoc modo ſtatim, & primo intuitu intelligitur Vocem illam eſſe unam ex Radicibus, & per duplicem Aſteriſcum à cœteris Vocibus Alphabeticis uno tantùm Aſteriſco ſignatis (ut Cap. I. Num VIII.) diſtinguitur.

Num. IV.

Cùm verò una ex Radicibus, ſive Vocibus in margine ſignatis duplici Aſteriſco, ut dixi numero antecedenti, plures habeat ſignificationes; tum ſub ipſa ponuntur omnes ipſius ſignificationes, ut habes in Radice אָבָה a. *Abbàh*.

Num. V.

Quia Radix אָלָה *Alàh*, unde אֱלוֹהַּ Eloàh, *Deus*, in Concordantiis ponitur ſeorſum ab alia Radice אלה *Alàh*, quæ plures habet ſignificationes: ad evitandam confuſionem, poſt Radicem אָלָה *Alàh*, unde ſcilicet אֱלֹהַּ *Eloàh* nomen *Dei*, ſtatim ſubjungitur unus Aſteriſcus ✠; & poſt aliam Radicem אָלָה *Alàh*, quæ plures habet ſignificationes, immediatè etiam ponuntur duo Aſteriſci, ut vides hic ✠✠; Deinde in aſſignanda Radice ſingulis Vocibus, quæ ſignificant *Deum*, & derivantur à Radice אָלָה *Alàh*, unde nomen *Dei* אֱלֹהַּ *Eloàh*, po-

ponitur exempli gratia ſic: אֱלֹהַּ c. Eloàh, *R.* אָלָה ✠ Alàh. *Deus*. In Vocibus verò, quæ derivantur ab alia Radice אָלָה *Alàh*, quæ plures habet ſignificationes, ut ſupra; ponitur, exempli gratia ſic: אָלֹה d. Alòh. *R.* אָלָה ✠✠ Alàh, ex 5. ſignificatione, *Execrari*, *execrando*. Atque hoc modo per unum, vel duplicem Aſteriſcum Radici immediatè ſubjunctum, intelligitur ſtatim ad utram ex duabus Radicibus, uno vel duplici Aſteriſco ſignatis, pertineat vox, quæ forte præ oculis habebitur.

N u m. VI.

Obſervantur etiam Voces, quæ derivantur à Radicibus in Lingua Hebraica quidem deperditis; ſed in Syriaca, Samaritana, & Arabica, cuſtoditis.

C A P. IV.

De lectione Radicum Hebraicarum Literis Latinis.

QUemadmodum Voces ſingulæ, ut dictum eſt Cap. II. ita & Radices Hebraicæ leguntur Literis Latinis: ſive ſint in Ordine Alphabetico, ſive ſint poſt ſua derivata.

C A P. V.

De interpretatione vocum.

N u m. I.

UNicuique Voci Hebraicæ Ordine Alphabetico diſpoſitæ ſua tribuitur Interpretatio Latina, ſervatâ proprietate Radicis, ex qua derivatur; eique poſtea ſubjungitur alia Inter-

terpretatio, unde clariùs ſenſus eruatur: Exempli gratia, Vox הָעֹלָה *Haholàh* primùm vertitur *aſcenſio*, quia derivatur à 1. ſignificatione *R.* עָלָה *Aſcendit;* deinde eidem voci הָעֹלָה *Haholàh* ſubjungitur *Holocauſtum* (ſic enim vertunt omnes Interpretes) quia Holocauſtum cum comburebatur, fumus ſurſum aſcendebat. Sic etiam vox חַטָּא *Hèt* ſignificat *Peccatum*, & per metonymiam ſumitur frequenter pro *Sacrificio*, *Victima*, *Oblatione*, quæ offerebatur pro peccato.

NUM. II.

Cùm verò una, eademque vox (habitâ ratione diverſarum Radicum, à quibus derivari poſſet) in uno eodemque Verſiculo poſſet diverſimodè interpretari; tunc eidem Voci tribuuntur ſuæ diverſæ Radices, & poſtea ſubjunguntur diverſæ Interpretationes, exempli gratia: Vox הַיּוֹנָה *Haijonàh* derivatur à Radice יָוֵן *Javèn*, & à Radice יָנָה *Janàh*, & poſtea reſpectu Radicis יָוֵן *Javen*, interpretatur, *Columba*, & reſpectu Radicis יָנָה *Janàh*, interpretatur *Opprimens*. Atque hoc modo fit, quod docet Hieronymus in Cap. I. Michææ; ubi ſic habet: *Incumbit neceſſitas ita interpretari Scripturas, quemadmodum leguntur in Eccleſia, & nihilominus Hebraicam non omittere veritatem*. Vel in Annotationibus illius Verſiculi, in quo Vox plures admittit interpretationes, aſſignantur rationes diverſarum interpretationum, ut habes de Voce יִדֹּדוּן *Iddòdhun*, de qua dicetur in Annotationibus Verſiculi, qui eſt ſub voce וּנְוַת *Unevàth*, in quo Verſiculo Vox יִדֹּדוּן *Iddòdhun* primùm interpretatur.

NUM. III.

Quando una, eademque Vox (licet ab una, eademque Radice, & ſignificatione derivetur) diverſas in diverſis Sacri Co-

Codicis Verſiculis requirit interpretationes ; tunc eidem Voci tot diverſæ tribuuntur interpretationes , quot in Sacro Codice requirere videtur , ut habes in voce אֱלֹהִים *Elohìm*.

Num. IV.

Cùm Voces , quæ Ordine Alphabetico ſunt diſpoſitæ, fuerint nomina propria , iiſdem etiam nominibus propriis tot diverſæ tribuuntur interpretationes , quot fuerint diverſæ Radices , à quibus prædicta nomina propria poſſent derivari , ut habes in nomine proprio אֲבָנָה *Abbanàh* , quod interpretatur, *Lapideus: Ædificatio : Pater obſecro* , *nunc* .

Num. V.

Cùm una ex Vocibus Ordine Alphabetico diſpoſitis, (licet ab una , eademque Radice , & ſignificatione derivetur) ratione Præfixarum, ſive Literarum ſervilium, diverſos in diverſis Sacri Codicis Verſiculis faciat ſenſus , puta , *Status; Motus ; Comparationis*, &c. tunc eidem Voci diverſæ tribuuntur interpretationes, ut habes in Voce בְּאֹהֶל a. Beòhel, *Ad, in tentorium: In tentorio;* Et in Voce מֵאֵל a. Meèl, *A Deo; Præ Deo* . Sub eadem poſtea Voce, aut altera, quæ ipſi correſpondet per Citationem ; interpretantur plures Verſiculi Sacri Codicis cum ſuis diverſis ſenſibus. Qua de re dicetur Cap. VI. ſequenti .

CA-

C A P. VI.

De Verſiculo Hebraico, vel Chaldaico cum ſuis diverſis interpretationibus.

N u m. I.

SUb ſingulis Vocibus Ordine Alphabetico diſpoſitis, vel immediatè, vel mediatè (ſcilicet per Citationes) interpretatur integer Verſiculus, in quo pro prima vice unaquæque Vox reperitur in Sacro Codice, & primùm quidem *de Verbo ad Verbum*, ut habetur in Hebraica, vel Chaldaica Lingua reſpectivè, & juxta quinque regulas *de Interpretatione Vocum* Cap. V. traditas, ut cognoſcatur proprietas Syntaxis Hebraicæ, (quem quidem interpretandi modum Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium *De optimo genere interpretandi* vocat κακοζηλίαν) & poſtea idem Verſiculus interpretatur Phraſi Latinâ, ut ſenſus inde facilius eruatur: Sic Hieronymus in Epiſtola ad Suniam, & Fretelam ait: *Et ſciendum hanc eſſe regulam boni Interpretis, ut idiomia alterius Linguæ, ſuæ Linguæ exprimat proprietate*, &c.

N u m. II.

Unicuique Verſiculo, ut ſupra interpretato, ſubjunguntur interpretationes Sacroſanctæ Vulgatæ, & Hieronymi; Simul, ſi fuerint omninò ſimiles; & ſeorsùm, ſi fuerint diſſimiles.

N u m. III.

Subjunguntur etiam percelebres Verſiones Græcæ τῶν Septuaginta ex duobus celeberrimis Codicibus, Romano ſcilicet & Manuſcripto Alexandrino, ex æditione Joannis Breitingeri: Ipſæque pariter conjunctæ, cùm nulla inter eas interceſſerit di-

diversitas; Si verò vel unicâ literâ fuerint diversæ, subjunguntur seorsum, & loca diversitatis notantur Asterisco *, ut à legentibus statim deprehendantur.

NUM. IV.

Prædictæ Græcæ Versiones Latinitate donantur.

NUM. V.

Pariter subjunguntur Versiones Pagnini, & Ariæ Montani; simul etiam, si fuerint similes; & seorsum, si aliqua fuerit inter eas diversitas.

NUM. VI.

Præter prædictas subjungitur etiam Versio Latina Paraphrasis Chaldaicæ; Onkelos scilicet in toto Pentateucho, & Jonathan in cœteris Libris Sacris, uno, vel altero excepto.

NUM. VII.

Subjungitur etiam Thargum, sive Versio Latina Rab. Jonathan Ben-Uziel in Pentateuchum.

NUM. VIII.

Similiter subjungitur Interpretatio Latina Versionis Syriacæ.

NUM. IX.

Subjungitur etiam Interpretatio Latina Versionis Arabicæ.

Num. X.

Item Interpretatio Latina Textus, & Versionis Samaritanæ subjungitur tantùm in Pentateucho, in quo habetur: Simul, cùm fuerint similes, & seorsum, cùm aliqua fuerit inter eas diversitas.

Num. XI.

Pariter subjungitur Translatio Latina Versionis Æthiopicæ in Psalmos, & Cantica, quæ ferè semper convenit cum Interpretatione Latina τῶν Septuaginta.

Num. XII.

Subjungitur tandem Interpretatio Latina Versionis Persicæ in Pentateuchum.

Cap. VII.

De Annotationibus.

HEbraico, vel Chaldaico Versiculo, ut supra, interpretato, variisque Versionibus, & Paraphrasibus donato, ut demonstratum est toto Capite VI. præcedenti, subjunguntur breves Annotationes, in quibus hæc præcipue observantur, nempe.

Num. I.

Observantur omnes Idiotismi, seu formulæ loquendi, quibus Hebræorum Syntaxis diversa est à Syntaxi Latinorum; prout in unoquoque Versiculo opus fuerit.

NUM. II.

Similiter obſervantur omnes figuræ, quæ vel in Voce ſola, vel in Periodo ſingulorum Verſiculorum occurrunt: atque omnium frequentiſſimæ ſunt Ellipſis, Enallage, & Pleonaſmus, quia tangunt omnes Orationis partes.

NUM. III.

Obſervantur Proprietates, & Natura omnium animalium, cujuſcumque ſint ſpeciei, quod non rarò confert multùm ad veram Sacri Textus intelligentiam, ut habes in Voce קֹרֵא Korè *Perdix* Jerem. 17. 11.

NUM. IV.

Explicantur Pondera, & Pretia omnium nummorum Hebræorum, quorum fit mentio in Sacro Codice.

NUM. V.

Item explicantur Menſuræ Solidorum, & Fluidorum quoad vaſa; & Menſuræ pariter Longitudinum: Omnia Loca, Provinciæ, Urbes: Omnes Arbores, Flores: Omnes Gemmæ, Idola, & quidquid aliud, cujus habetur mentio in Sacro Codice.

NUM. VI.

Poſt hæc, ad meliorem Sacri Textus intelligentiam, & præcipuè reſpectu ſenſus Literalis, afferuntur Teſtimonia Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum, & non rarò etiam Hebræorum, dummodo ab Eccleſiæ Catholicæ Dogmatibus non diſſentiant.

C A P. VIII.

De Analysi Grammatica.

SUb qualibet Voce Ordine Alphabetico dispofita exhibetur Analysis Grammatica Vocis ejusdem, in qua iterum observatur Radix, & significatio, unde Vox derivatur: deinde explicatur ratio Mutationis punctorum vocalium; Ratio etiam Defectus, Incrementi, aut Permutationis Literarum Consonarum, rerumque omnium, quæ animadversione dignæ videntur.

C A P. VIIII.

De Interpretatione Buxtorfii.

SUb singulis Vocibus Ordine Alphabetico dispositis exhibetur Interpretatio Buxtorfii, una cum Columna illius Radicis, sub qua Voces singulæ habentur in ipsius Concordantiis, ita ut qui hoc nostro Lexico uti voluerint, habeant etiam integras Concordantias Buxtorfii Ordine Alphabetico dispositas, cum ejusdem Interpretatione Latina Vocibus singulis competente, nec non & modum facillimum consulendi easdem Concordantias, si libuerit.

C A P. X.

De Citatione Vocum inter se.

QUatuor ob causas, quæ declarantur quatuor sequentibus numeris, Voces in hoc nostro Lexico citantur. I. Ne cresceret in immensum Opus. II. Ob Variantes ratione diversorum Codicum. III. Ob Variantes ratione Keri, & Ketibh. IV. Ut Facillime inveniatur Versiculus, cui Vox Citans correspondet.

NUM. I.

Quoniam unaquæque Vox Ordine Alphabetico diſpoſita, ut Cap. I. interpretatur ſemper in illo Sacri Codicis Verſiculo, in quo pro prima vice reperitur, ut dictum eſt Cap. VI. Num. I. Debuerunt neceſſariò omnes voces primi Verſiculi Geneſis interpretari in eodem primo Verſiculo. Cum igitur ſub una Voce prædicti primi Verſiculi Geneſis, puta, ſub voce אֱלֹהִים *Elohìm* poſuiſſem omnes diverſas Interpretationes, Annotationes, Analyſim, &c. ut Cap. VI. VII. VIII. & VIIII. demonſtratur: Si ſub aliis vocibus ejuſdem primi Verſiculi Geneſis, puta, ſub בְּרֵאשִׁית *Bereſchìth*, ſub בָּרָא *Barà* &c. iterum poſuiſſem diverſas Interpretationes, Annotationes, Analyſim &c. quæ poſui ſub Voce אֱלֹהִים *Elohìm*, creviſſet in immenſum Opus, & res toties repetitæ eſſent Lectori prorſus inutiles: Quare exhibitis ſub voce אֱלֹהִים *Elohìm*, ut dixi, diverſis Interpretationibus, Annotationibus, Analyſi, &c. ſub aliis Vocibus primi Verſiculi Geneſis id tantummodo exhibetur, quod Voces illas ſpecialiter tangit, puta, Radix, Significatio, Interpretatio &c. quoad alia verò, nempe quoad diverſas Interpretationes, Annotationes &c. dicitur: *Vide* אֱלֹהִים Geneſ. 1. 1. Atque hâc Œconomicâ ratione proviſum eſt, ut unaquæque Vox Ordine Alphabetico diſpoſita habeat omnes diverſas Interpretationes, Annotationes, Analyſim, &c. dummodo Lector velit cum evolutione unius, vel alterius paginæ hujus noſtri Lexici illas inquirere; nihilque exhibetur ſuperflui, quod libri Molem, Typographiæ, & Emptionis impenſas augeret abſque ulla prorſus utilitate.

NUM. II.

Quia multæ Voces ratione quatuor literarum אהוי *Ehevì*, (quæ vocantur *quieſcentes*, eò quòd poſitæ in Voce ſine punctis Vocalibus, omnem valorem in pronunciando amittunt, atque

atque otiosæ, ac si non essent existunt,) in diversis Codicibus diversimodè Scriptæ inveniuntur, ideSt, cum literis quiescentibus, & sine ipsis; hincque non rarò difficultas oriatur Tyronibus; ut cùm, Exempli gratia, inveniant in Codice (quem forte præ manibus habuerint) aliquam Vocem cum una ex literis quiescentibus, puta אָבוֹד *Abbòdb*, cum litera quiescenti ו *Vau*, quæ in Lexico extare deberet absque ipsa, nempe אָבֹד *Abbòdb:* Ne quid esset, quod Studiosam Juventutem retardare posset; In hoc nostro Lexico exhibui Voces ut habentur in Codicibus Briani Waltoni, & Everardi vander Hoogth, (quibus utpote correctioribus usus sum in hoc Opere concinnando,) & postea easdem Voces exhibui suo loco, servatoque Ordine Alphabetico, prout habentur in aliis Codicibus, Exempli gratia: Sub Voce אָבֹאָה *Abbòab* Interpretatus sum Versiculum Judic. 15. 1. Et quia hæc eadem Vox in aliis Codicibus invenitur scripta cum litera quiescenti ו *Vau*, nempe אָבוֹאָה *Abbòab;* exhibui suo loco, servatoque Ordine Alphabetico, etiam hanc Vocem cum Litera quiescenti ו *Vau*, in qua postea dico: אָבוֹאָה *Vide* אָבֹאָה. Atque ita feci de omnibus Vocibus variantibus, quas in legendo animadvertere potui. Sed quia maximus jam illarum numerus novorum Codicum impressione augeri semper potest, ideo debebit Lector hæc observare: Si non invenerit, Exempli gratia, vocem אָבוֹד *Abbòdb* cum quiescienti ו *Vau*, quærat אָבֹד *Abbòdb* absque quiescenti ו *Vau*, & inveniet. Et contra, si non invenerit Vocem אָבֹאָה *Abbòab* absque quiescent ו *Vau*, quærat אָבוֹאָה *Abbòab* cum quiescenti ו *Vau*, & inveniet; & sic de aliis quiescentibus, nempe א *Aleph*, ה *He*, (י) *Jod;* addendo tamen Voci, quam quæret, illa puncta vocalia, quæ sunt in voce, quam ob oculos habet: Quærit aliquis, Exempli gratia, Vocem אָאֲמִין *Aamìn* cum Litera quiescenti (י) *Jod*, & invenire non potest, quærat eandem vocem absque Litera quiescenti (י) *Jod*, puta אָאֲמִן *Aamìn*, sed tamen cum puncto vocali Chirech (ִ) sub litera מ *Mem*,

מ *Mem*, ut eſt in voce, quam ob oculos habet, & ſic inveniet.

Num. III.

Voces cum Kerì, & Ketibh ſunt & ipſæ ex numero Variantium; at id habent Speciale præ cœteris, quòd uno modo ſcriptæ ſunt in Textu, & alio modo in Margine: ego eas exhibui utroque modo, ſervato ſemper Ordine Alphabetico: Verſiculum tamen Interpretatus ſum, utplurimum ſub voce, quæ habetur in Textu: puta, ſub voce וְתִשׁׂחַ *Vethaſchùah*, ad quam poſtea remitto eam, quæ eſt in Margine, nempe וְתָשׁוּחַ *Vethaſchùah*; dicendo וְתָשׁוּחַ *Vide* וְתִשׁׂחַ.

Num. IV.

Et quia Voces, quæ in Sacro Codice ſcriptæ ſunt iiſdem Literis, ſeu Conſonis, omnes ſimul, atque Columnâ eâdem, ſervatoque Ordine Alphabetico exhibentur, attributâ ſingulis ipſarum unâ ex literis Alphabeti Latini, ut demonſtratum eſt Cap. I. Num. VII. Cum voluerit Lector invenire aliquam vocem cum una ex ſupradictis literis Alphabeti Latini ab alia Voce citatam; debebit illam quærere, cui ſignanter appoſita eſt talis Litera Alphabeti Latini, & non aliam, ut poſſit invenire integrum Verſiculum, cui Vox citans correſpondet: Exempli gratia, habet Lector hanc vocem וְאַחֲרִיתוֹ *Veabarithò* cum ſua Interpretatione Latina, nempe: *Et poſterius*, *noviſſimum ejus*, *ipſius*, *illius*, *ſuum*, ſub ipſa tamen Voce non habet Interpretationem integri Verſiculi Sacri Codicis ob rationes aſſignatas hoc eodem Cap. X. Num. I., ſed tantùm hanc Citationem, *Vide* אֹבֵד d. *Obbèdh*: ſi quærat hanc citationem אֹבֵד *Obbèdh* cum hac ſignanter Litera Alphabeti Latini, nempe d. In-

inveniet interpretationem integri Versiculi Sacri Codicis, in quo sunt voces וְאַחֲרִיתוֹ *Veaharithò* citans, & אֹבֵד d. citata; intelligetque ad hunc Versiculum pertinere Vocem citantem, nempe וְאַחֲרִיתוֹ *Veaharithò*. Si verò posthabitâ propriâ Citatione אֹבֵד d. quærat אֹבֵד e: Hæc vox אֹבֵד e. licet constet iisdem tribus Consonis Hebraicis, ac אֹבֵד d., quia tamen habet diversa puncta Vocalia, & rem diversam significat, non correspondet Versiculo, in quo erat Vox Citans, nempe וְאַחֲרִיתוֹ, & sic de singulis.

S C H O L I O N.

Voces indeclinabiles, & Nomina propria, nec non & omnes Voces, sive Formæ Verbi הָיָה *Hajàh*, ponuntur suis locis, sicut & cœteræ; sed tamen rarò citantur cum aliis Vocibus: quia enim desunt in Concordantiis, cognoscere non potui loca Sacri Codicis, in quibus pro prima vice inveniuntur, quod quidem necessarium erat, ut cum aliis Vocibus possent citari, ut patet ex Cap. VI. Num. I.

C A P. XI.

De Versiculis qui per modum Schòlion exhibentur.

QUoniam in Versiculorum Interpretatione, de qua Cap. VI., non fuit animus omnes, & singulos, qui in Sacro Codice continentur, interpretari; sed eos tantummodo, quos hoc Lexicon exigere videbatur: & contra, inter eos, quos non attigi, multi sunt, qui diversas admittere possunt Interpretationes: istorum quisque per modum Scholion citatur sub illa voce Hebraica, cujus causa potest Versiculus diversas admittere Interpretationes, ut intelligatur, & ipsum

ipſum etiam diverſimode poſſe interpretari: Exempli gratia: Jerem. 25. 38. & 46. 16. & Sophon. 3. 1. habetur hæc Vox הַיּוֹנָה *Haijonàh*, quæ derivata à Radice יָוֵן *Javèn*, ſignificat *Columbam*, unde in ſupradictis tribus locis primum interpretatus ſum cum Vulgat.: *A facie iræ Columbæ: A facie gladii Columbæ: Civitas Columba:* eam ſcilicet accipiendo tanquam Hieroglyphicum Linguæ Hebraicæ, ut ibidem demonſtratur: Poſtea derivando eandem Vocem הַיּוֹנָה *Haijonàh* à Radice יָנָה *Janàh*, interpretatus ſum: *Opprimens*, & prædictis tribus locis aliam interpretationem adjeci, nempe: *A facie iræ opprimentis: A facie gladii opprimentis: Væ Civitati opprimenti:* Sed quia eadem vox הַיּוֹנָה *Haijonàh* Jerem. cap. 50. 16. duplicem etiam admittit interpretationem, nempe: *Columba: Opprimens*: & mihi neceſſe non fuit hunc Verſiculum in hoc Lexico interpretari; ſub voce הַיּוֹנָה *Haijonàh*, cujus cauſa poteſt Verſiculus hic cap. 50. diverſas admittere Interpretationes, dicitur per modum Scholion: *Ita etiam intelligendus eſt locus Jer. cap.* 50. *16.* & ſic de ſingulis.

C A P. XII.

De Idiotiſmis, ſeu Proprietatibus Linguæ Hebraicæ, & Chaldaicæ.

Circa Nomina Subſtantiva.

N U M. I.

IN conſtructione Subſtantivi cum Subſtantivo, Hebraice aliquando eſt Enallage, ſeu diſcrepantia Generis: Sic Abacuc 1. 16. וּמַאֲכָלוֹ בְּרִיאָה *Et cibus ejus opima*, ideſt, *Et cibus ejus opimus eſt:* Maſculinum cum fœminino.

Num. II.

In constructione Substantivi cum Adjectivo eleganter ponunt Hebræi Substantivum cum una ex istis præpositionibus. ב *Beth*, מ *Mem*, מִן *Min*, ל *Lamed*. Sic Isa. 56. 9. כָּל־חַיְתוֹ בַּיָּעַר *Omnis bestia in Sylva*; idest, *omnes bestiæ Sylvestres*. Item ponunt Infinitum, sive Gerundium loco Nominis Adjectivi: Sic Psalm. 37. 1. vel 38. 1. מִזְמוֹר לְהַזְכִּיר *Psalmus ad commemorandum*, idest, *Psalmus memorialis*. Item pro Adjectivo utuntur Adverbio: Sic Proverb. 3. 25. מִפַּחַד פִּתְאֹם *A pavore repente*, idest, *à pavore repentino*.

Num. III.

Nomina Dominii, nempe אֱלֹהִים *Elohìm*, בַּעַל, *Bàhal*, אָדוֹן *Adhòn*, ponuntur in numero plurali cum antecedente singulari ad summam dignitatem, & honorem excellentissimum Personæ indicandum: Sic Genes. 2. 5. יְהוָה אֱלֹהִים *Dominus Dii*, idest, *Dominus Deus*, pro יְהוָה אֱלֹה. Sic Isa. 54. 5. בֹעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *Domini tui*, *Factores tui*, idest, *Dominus tuus*, *Factor tuus*: De unico enim, & vero Deo loquitur Propheta. Sic Genes. 24. 9. תַּחַת יֶרֶךְ אַבְרָהָם אֲדֹנָיו *Sub femore Abraham Dominorum suorum*, idest, *sub femore Abraham Domini sui*.

Num. IV.

Quandoque duobus Substantivis subjicitur Adjectivum conveniens posteriori, cùm deberet convenire priori. Sic 1. Reg. 2. 4. קֶשֶׁת גִּבֹּרִים חַתִּים *Arcus fortium confractorum*, idest, *arcus fortium confractus*.

Num. V.

Per Ellipsin omittitur aliquando Substantivum, expresso tan-

tantùm Adjectivo : Sic Genes. 8. 5. בָּעֲשִׂירִי בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ *In decimo*, *in uno mensis*, idest, *In decimo mense*, *in uno* (hoc est, in primo) *die mensis*. Item, cum Adjectivum fœmininum absolutè usurpatur; Sic Psalm. 12. 4. vel 13. 4. לָשׁוֹן מְדַבֶּרֶת גְּדֹלוֹת *Lingua loquens magnas*, idest, *lingua loquens magnos sermones*. Item omittitur Substantivum, cùm unum exprimitur alio subintellecto; Sic Job. 32. 19. הִנֵּה בִטְנִי כְּיַיִן *Ecce venter meus sicut vinum*, idest, *ecce venter meus* est *sicut* uter *vini*.

NUM. VI.

Idem Substantivum geminatum, sed semel in Genitivo plurali positum, excellentiam in eo genere significat, & obtinet vim superlativi, quo carent Hebræi; sic: *Sancta Sanctorum*, idest, *Sanctissima*. *Cantica Canticorum*, idest, *excellentissimum Canticum*. *Vanitas vanitatum*, idest, *res vanissima:* quod loquendi genus non raró locum habet etiam in diversis Substantivis: sic Dan. 11. 17. וּבַת הַנָּשִׁים *Et filiam fœminarum*, idest, *Et filiam pulcherrimam*.

NUM. VII.

In Numeralibus repetitur nunc Substantivum, nunc Adjectivum, sic Genes. 5. 15. חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁשִּׁים שָׁנָה *Quinque annis*, & *sexaginta annis*, idest, *Sexaginta quinque annis*. Et Num. 2. 9. מְאַת אֶלֶף וּשְׁמֹנִים אֶלֶף וְשֵׁשֶׁת־אֲלָפִים *Centum millia*, & *octoginta millia*, & *sex millia*, idest, *Centum octoginta sex millia*. Item, Substantivum continuò repetitum in numero singulari, distributionem denotat; aliud enim eorum est loco Adjectivi distributivi, quo Hebræi carent: sic Num. 17. 2. וְקַח מֵאִתָּם מַטֶּה מַטֶּה *Et accipe ab eis virgam virgam*, idest, *Et accipe ab eis virgas singulas*. Item, denotat Emphasim, certitudinem, ac vehementiorem animi affectum: sic

 Deu-

Deuter. 16. 20. צֶדֶק צֶדֶק תִּרְדֹּף *Justitiam*, *justitiam sectaberis*, idest, *omnino solam justitiam sectaberis*. Et Deuter. 2. 2. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ אֵלֵךְ, *Per viam*, *per viam ibo*, idest, *viâ rectâ*, *communi*, *& Regiâ ibo*. Si verò Substantivum ter repetatur, majorem Orationis vehementiam indicat: sic Jerem. 22. 29. אֶרֶץ אֶרֶץ אֶרֶץ *Terra*, *terra*, *terra*, idest, *O terra omnium terrarum præstantissima*, *& laudatissima*, ut explicat Rab. Sal. Si verò Substantivum geminetur in numero plurali, tunc majorem multitudinem significat, vel etiam universitatem: Sic Genes. 14. 10. וְעֵמֶק הַשִּׂדִּים בֶּאֱרֹת בֶּאֱרֹת, *Et vallis Hassiddim* erat *putei putei*, *idest*, *& vallis Siddim habebat multos puteos*. Et Joel 3. 14. vel 3. 19. vel 4. 14. הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים בְּעֵמֶק הֶחָרוּץ, *Populi populi in Valle concisionis*, idest, *omnes populi in Valle concisionis*.

N u m. VIII.

In repetitione Substantivi, si intercesserit Copula ו Vau *&*, tunc diversitas significatur: sic Psalm. 11. 3. vel 12. 3. בְּלֵב וָלֵב יְדַבֵּרוּ *In corde*, *& corde loquentur*, idest, *diverso*, sive duplici *corde loquuntur*, *quorum unum in ore*, *alterum in pectore est*, ut exponunt Hebræi. Item, significat multitudinem: Sic Joel 2. 2. עַד שְׁנֵי דּוֹר וָדוֹר *Usque ad annos generationis*, *& generationis*, idest, *usque ad annos diversarum*, *& plurimarum generationum*. Item, significat continuationem: Sic Esther 3. 4. בְּאָמְרָם אֵלָיו יוֹם וָיוֹם *In dicendo ipsos ad eum die*, *& die*, idest, *cum dixissent ipsi ad eum unaquaque die*, sive *quotidie*, *continuò*, *crebriùs*.

N u m. VIIII.

Nomen *Filius* Periphrases, & Hebraismos facit insignes: Sic Genes. 18. 7. בֶּן בָּקָר *Filius bovis*, idest, *vitulus lactens*.

Sic

Sic 1. Reg. 20. 31. בֶּן מָוֶת *Filius mortis*, ideſt, *reus mortis.* Sic 4. Reg. 14. 14. בְּנֵי הַתַּעֲרֻבוֹת *Filii Fidejuſſionum*, ideſt, *Obſides*. Sic Job. 41. 19. בֶּן קֶשֶׁת *Filius arcus*, ideſt, *ſagitta*. Sic Iſa. 21. 10. בֶּן גָּרְנִי *Filius areæ meæ*, ideſt, *Frumentum areæ in ea trituratum, & quaſi editum.*

N u m. X.

Nomina *Dei* אֵל *Èl*, אֱלֹהִים *Elohìm*, יְהוָֹה *Jehovàh* adhibentur epitheti loco pro *Divinum*, quo ſummum, & excellentiſſimum, maximum, & vehementiſſimum, omniſque ſuperlativa locutio ſignificatur. Sic Geneſ. 30. 8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים *Luctationibus Dei*, ſeu *divinis*, hoc eſt *Luctationibus vehementiſſimis, & graviſſimis.* Sic Pſalm. 79. 11. vel 80. 11. וַעֲנָפֶיהָ אַרְזֵי אֵל, *Et palmites ejus Cedri Dei*, ideſt, *& palmites ejus Cedri maximæ, & procerrimæ*. Sic 1. Reg. 16. 12. תַּרְדֵּמַת יְהוָֹה *Sopor Domini*, ideſt, *ſopor graviſſimus*.

N u m. XI.

Rectio duorum Synonymorum Auxeſin, & evidentiam denotat: ſic Pſalm. 39. 3. vel 40. 3. מִטִּיט הַיָּוֵן *E luto cœni*, ideſt, *è luto cœnoſo, & omnibus generibus luti mixto*, ut Kimchi explicat. Sic Pſalm. 15. 5. vel 16. 5. יְהוָֹה מְנָת חֶלְקִי *Dominus pars partis meæ* ideſt, *Dominus omnimoda pars mea*.

N u m. XII.

Subſtantiva regunt Verbum Infinitum tanquam Nomen Genitivi Caſus: ſic Geneſ. 2. 4. בְּיוֹם עֲשׂוֹת *In die facere*, vel *faciendi*, quaſi dicat, *In die factionis*, ideſt, *In die, qua fecit*. Sic Ruth. 1. 1. בִּימֵי שְׁפוֹט הַשֹּׁפְטִים *In diebus judicare Judices*, quaſi dicat, *In diebus, quibus judicabant Judices.*

NUM. XIII.

Adjectivum Singulare junctum Substantivo plurali distributionem, sive partitionem denotat: sic Psalm. 118. 137. vel 119. 137. וְיָשָׁר מִשְׁפָּטֶךָ *Et rectum judicia tua*, ideſt, *& rectum* eſt *unumquodque judiciorum tuorum*, ſive, *& recta* ſunt *judicia tua*.

NUM. XIV.

Adjectivis Numeralibus Singularis numeri junguntur plerumque Subſtantiva pluralia: ſic Geneſ. 5. 6. חָמֵשׁ שָׁנִים *Quinque annos*. Et contra, Numeralibus pluralibus junguntur Subſtantiva ſingularia. Sic Geneſ. 31. 38. עֶשְׂרִים שָׁנָה *Viginti annum*, ideſt, *viginti annos*. Numeralibus verò in utroque numero conjunctis, Subſtantivum convenit cum numero ſingulari: ſic Exod. 7. 8. בֶּן שָׁלשׁ וּשְׁמֹנִים שָׁנָה *Filius trium, & octoginta annorum*.

NUM. XV.

Per Ellipſin omittitur aliquandò Adjectivum expreſſo tantùm Subſtantivo: Sic Proverb. 18. 22. מָצָא אִשָּׁה מָצָא טוֹב *Invenit uxorem, invenit bonum*, ideſt, *qui invenit uxorem* bonam, *invenit bonum*. Item, omittitur aliquando Adjectivum diſtributivum: ſic Judic. 12. 7. וַיִּקָּבֵר בְּעָרֵי גִלְעָד *Et ſepultus eſt in Civitatibus Ghilbàdh*, ideſt; *& ſepultus eſt in* una ex *Civitatibus* vel *in aliqua Civitatum Ghilbàdh*.

NUM. XVI.

Adjectivum in numero plurali continuò repetitum diſtributio-

butionem denotat : sic Genes. 7. 9. שְׁנַיִם שְׁנַיִם בָּאוּ אֶל־נֹחַ , *duo*, *duo ingressa sunt ad Nöah*, idest, *bina ingressa sunt ad Nöe*.

Num. XVII.

Adjectivum autem in Numero Singulari continuò repetitum, Superlativum denotat : Sic 1. Reg. 2. 3. אַל תְּדַבְּרוּ גְּבֹהָה גְבֹהָה *Non loquemini elatam* (rem) *elatam* (rem), idest, *ne loquamini admodum elatè*, sive, *superbissimè*.

Num. XVIII.

Ponunt etiam Hebræi Numerum Cardinalem pro Ordinali : Sic Genes. 1. 5. וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד *Factumque est Vespere*, *factumque est mane dies unus*, idest, *factumque est Vespere*, *& mane dies primus*. Item, ponunt Numerum plenum, & rotundum, neglecto numero minori, qui aliquantùm excrescit, vel deficit: Sic Num. 11. 16. vocantur שִׁבְעִים אִישׁ *Septuaginta viri*, vel *Seniores*. Et alibi, *Septuaginta Interpretes*, cum fuerint utrique Septuaginta duo.

Num. XVIIII.

Adjectivum Superlative sumptum regit Ablativum cum præpositione ב *Beth* : Sic Jerem. 49. 15. קָטֹן בַּגּוֹיִם נְתַתִּיךָ וּבָזוּי בָּאָדָם *Parvum in gentibus*, vel *inter gentes posui te*, *& contemptum in homine*, idest, *minimum gentium disponam te*, *& contemptissimum hominum*.

Num. XX.

Quia carent Hebræi Comparativo, & Superlativo; pro his gradibus utuntur Positivo : Sic Psalm. 36. 16. vel 37. 16.

16. טוֹב מְעַט לַצַּדִּיק מֵהֲמוֹן רְשָׁעִים רַבִּים . *Bonum modicum justo, super divitias improborum multorum.* Ideſt, *melius* eſt *modicum juſto ſuper divitias improborum multas*. Item, cùm per Comparationem volunt unum alteri præferre; id, quod præferunt, affirmant, alterum negant; Exempli gratia: Oſee 6. 6. כִּי חֶסֶד חָפַצְתִּי וְלֹא־זָבַח *Quia miſericordiam volui, & non Sacrificium*, ideſt, *quia miſericordiam malo quàm Sacrificium*. Præterea in Comparationibus frequenter deeſt כ *Caph*, particula comparationis, vel ſimilitudinis: Sic Proverb. 16. 24. צוּף־דְּבַשׁ אִמְרֵי־נֹעַם *Favus mellis dicta jucunditatis*, ideſt, ut eſt *favus mellis*, ita ſunt *dicta jucunda*.

Circa Pronomina.

N u m. XXI.

Pronominis Demonſtrativi repetitio diſtributionem indicat: Sic Iſa. 6. 3. וְקָרָא זֶה אֶל זֶה *Et clamavit hic ad hunc*, ideſt, *& clamavit alter ad alterum*. Sic Num. 22. 24. גָּדֵר מִזֶּה וְגָדֵר מִזֶּה *Maceria ex hoc, & maceria ex hoc*, ideſt, *Maceria* erat *ex hoc* loco, *& maceria ex illo* loco; nempe, *Maceria erat hinc, atque illinc*. Eleganter etiam accipitur Pronomen Demonſtrativum pro Adverbio temporis, & tunc Emphaſim denotat: Sic Num. 22. 28. כִּי הִכִּיתַנִי זֶה שָׁלֹשׁ רְגָלִים *Quod percuſſiſti me iſtis tribus vicibus*, ideſt, *quod percuſſiſti me jam tribus vicibus*. Aliquando per Ellipſin omittitur Pronomen relativum אֲשֶׁר *Aſcbèr:* Sic Iſa. 42. 5. נֹתֵן נְשָׁמָה לָעָם עָלֶיהָ *Dans animam populo ſuper eam*, ideſt אֲשֶׁר עָלֶיהָ *Qui ſuper eam*, ideſt, *qui eſt*, vel *vivit*, vel *agit ſuper eam*. Pleonaſticè, & eleganter ponitur Pronomen in caſu Dativo: Sic Amos 2. 13. הָעֲגָלָה הַמְלֵאָה לָהּ עָמִיר *Plauſtrum plenum ſibi manipulo*, vel *manipulis*. Cum pronomine verò אֲשֶׁר, Pleonaſmus eſt ferè perpetuus, quando Relativum ponitur in caſu obliquo: Sic Geneſ. 1. 11. אֲשֶׁר זַרְעוֹ בוֹ *Quo ſemen ſuum in eo*,

eo, ideſt, *in quo* ſit *ſemen ſuum*. Pronomen demonſtrativum per Enallagen ponitur etiam pro Relativo אֲשֶׁר Sic Pſalm. 103. 8. vel 104. 8. אֶל מְקוֹם זֶה יָסַדְתָּ לָהֶם, *Ad locum hunc fundaſti eis*, ideſt, *ad locum quem fundaſti eis*.

Circa Verba.

Num. XXII.

Verbo Singulari Nomen plurale adjunctum Diſtributionem, ſeu Partitionem denotat: Sic Job 17. 7. שְׁאַל־נָא בְהֵמוֹת וְתֹרֶךָּ *Interroga*, *quæſo*, *jumenta*, *& docebit te*, ideſt, *interroga*, *quæſo*, *quodque jumentorum*, *& docebit te*. Sic etiam verbo plurali Nomen ſingulare adjunctum: ut Pſalm. 118. 103. vel 119. 103. מַה נִּמְלְצוּ לְחִכִּי אִמְרָתֶךָ *Quàm dulcia palato meo dictum tuum*, ideſt, *quàm dulcia* ſunt *palato meo ſingula dicta tua*, vel *ſingula eloquia tua*.

Num. XXIII.

Verba tertiæ perſonæ ſæpiſſime uſurpantur indefinitè, & quaſi imperſonaliter: Sic Geneſ. 16. 14. עַל־כֵּן קָרָא לַבְּאֵר *Idcircò vocavit puteo*, ideſt, *idcirco* (quiſque) *vocavit puteum*, ſive *idcirco vocatus eſt puteus*, hoc eſt, *idcirco vocabitur puteus*.

Num. XXIV.

Per Ellipſin Verbi Subſtantivi eleganter uſurpantur Pronomina ſeparata: Sic Geneſ. 42. 11. כֻּלָּנוּ בְּנֵי אִישׁ אֶחָד נָחְנוּ כֵּנִים אֲנַחְנוּ, *Omnes nos filii viri unius nos*, *probi nos*, ideſt, *Omnes nos filii viri unius ſumus*, *probi ſumus*.

Num.

Num. XXV.

Per Enallagen Verbum, & Nomen discrepant Genere: Sic Genes. 24. 14. ponitur Verbum masculinum, & Nomen fœmininum וְהָיָה הַנַּעֲרָה *Et erit puella*. Per Enallagen etiam ponitur una persona pro alia: Sic Isa. 1. 29. כִּי יֵבֹשׁוּ מֵאֵילִים אֲשֶׁר חֲמַדְתֶּם. *Nam pudefient à Lucis, quos desiderastis*, pro כִּי תֵבֹשׁוּ *Nam pudefietis propter Lucos, quos desiderastis*. Item est Enallage, seu discrepantia generis, & personæ simul, ut cùm secunda pluralis masculina ponitur loco tertiæ pluralis fœmininæ: Sic Jerem. 49. 11. וְאַלְמְנוֹתֶיךָ עָלַי תִּבְטָחוּ *Et viduæ tuæ in me confidetis*, pro תִּבְטַחְנָה *Confident*, nempe, *& viduæ tuæ in me confident*.

Num. XXVI.

Quodvis Verbum regit Ablativum cum præpositione ב *Beth* significante Causam, Instrumentum, aut Modum actionis: Sic Genes. 48. 22. אֲשֶׁר לָקַחְתִּי בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *Quam cepi cum gladio meo, & cum arcu meo*. Sic etiam verba Mercandi, Æstimandi, & quæcumque pretium requirunt, regunt Ablativum pretii cum præpositione ב *Beth*: Sic Deuter. 2. 6. אֹכֶל תִּשְׁבְּרוּ מֵאִתָּם בַּכֶּסֶף *Cibum emetis ab eis in* sive *pro pecunia*. Aliquando pro præpositione ב *Beth* reperitur ל *Lamedh*, ut 1. Reg. 2. 36. לַאֲגוֹרַת כֶּסֶף *Pro nummulo argenti*, sive *argenteo*.

Num. XXVII.

Verbum Substantivum communiter habet ante, & post se Nominativum, ut apud Latinos: Sic Genes. 3. 2. וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם *Et Serpens fuit callidus*, ideſt, *& Serpens erat callidior*. Aliquando verò alter Nominativus admodum venustè convertitur in Accusativum, vel Ablativum cum præpositione ב Beth

ב Beth *In*, *inter*: Sic Judic. 11. 35. וְאַתְּ הָיִית בְּעֹכְרָי, *Et tu fuisti in turbatoribus meis*, ideſt, *& tu fuisti perturbans me*, ſive *turbator meus*.

Num. XXVIII.

Verba Paſſiva communiter regunt Ablativum cum præpoſitione *A*, *ab* &c. ut apud Latinos: Sic Levit. 26. 43. וְהָאָרֶץ תֵּעָזֵב מֵהֶם *Et terra relinquetur ab eis:* ſed quandoque pro Ablativo regunt Dativum: Sic Geneſ. 31. 15. נָכְרִיּוֹת נֶחְשַׁבְנוּ לוֹ *Extraneæ reputatæ ſumus ipſi*, ideſt, *ab ipſo*.

Num. XXVIIII.

Cùm duo Verba ſeſe mutuò regunt, alterum ſemper Modi Infinitivi eſt, ut Iſa. 28. 12. וְלֹא אָבוּא שְׁמוֹעַ *Et non voluerunt audire*. Aliquando verò alterum eorum eleganter per Adverbium explicatur: Sic Pſalm. 32. 3. vel 33. 3. הֵיטִיבוּ נַגֵּן בִּתְרוּעָה *Benefacite pulſare cum clangore*, ideſt, *benè*, ſive *optimè pulſate cum clangore*. Interdum etiam per Ellipſin omittitur verbum Infinitum: Sic Iſa. 1. 13. לֹא אוּכַל אָוֶן *Non poſſum iniquitatem*, ſubintellige נְשׂוֹא *Ferre*. Ideſt, *Non poſſum ferre iniquitatem*.

Num. XXX.

Verbum finitum quodvis regit ſuum Infinitum ad majorem certitudinem, evidentiam, Emphaſim, & exagerationem exprimendam, atque hoc modo Infinitum ſæpius præcedit: Sic Geneſ. 2. 17. מוֹת תָּמוּת *Moriendo morièris*. Sic Lament. Jer. 1. 2. בָּכוֹ תִבְכֶּה *Plorando ploravit*, ideſt, *Vehementer*, *& amarè ploravit*. Similem Auxeſin ſignificat negatio contrariæ rei,

rei, quando affirmationi subnectitur: Sic Lament. Jer. 2. 17. הָרַם וְלֹא חָמָל *Destruxit, & non pepercit*, ideſt, *integrè, atque totaliter destruxit*. Cum verò Infinitum sequitur, tum continuatio, & frequentatio indicatur: Sic וַיְבָרֶךְ בָּרוֹךְ אֶתְכֶם *Et benedixit benedicendo vobis*, ideſt, *& incessanter*, sive, *sine intermissione benedixit vobis*. Aliquando particula aliqua intercedit: Sic Genes. 46. 4. אַעַלְךָ גַם־עָלֹה *Ascendere faciam te etiam ascendendo*.

NUM. XXXI.

Per Enallagen Hebræi tempus pro tempore ponunt, ut Verbum Infinitum pro Præterito: Sic Ezech. 1. 4. וְהַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב, *Et animalia currere, & redire*, pro רָצוּ וְשָׁבוּ *Cucurrerunt, & redierunt*, ideſt, *Et animalia currebant, & redibant*. Ponitur etiam pro Participio, ut Genes. 8. 5. וְהַמַּיִם הָיוּ הָלוֹךְ וְחָסוֹר *Et aquæ fuerunt eundo, & deficiendo*, pro הוֹלְכִים וְחֹסְרִים *Euntes, & deficientes*, ideſt, *& aquæ erant euntes, & deficientes*, scilicet, *pergebant deficere*. Ponunt etiam pro Imperativo, ut Exod. 20. 8. זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת *Recordari diei Haschschabbàth*, pro זְכוֹר *Recordare*, ideſt, *Recordare diei Sabbathi*. Ponunt etiam pro futuro: Sic Ezech. 11. 7. וְאֶתְכֶם הוֹצִיא מִתּוֹכָהּ *Et vos educere de medio ejus*, pro אוֹצִיא *Educam*, ideſt, *& vos educam de medio ejus*. Ponunt etiam pro Nomine: Sic Psalm. 100. 3. vel 101. 3. עֲשֹׂה סֵטִים שָׂנֵאתִי *Facere declinantium odi*, pro מַעֲשֵׂה סֵטִים *Factum*, sive *opus declinantium*, ideſt, *opus declinantium odi*.

NUM. XXXII.

Gerundium ponitur cum Nominativo, vel Accusativo, quod habeat vicem suppositi, loco Verbi finiti cum Nominativo:

tivo: Sic Psalm. 125. 1. vel 126. 1. בְּשׁוּב יְהוָה אֶת־שִׁיבַת *In convertendo Dominus captivitatem*, idest, *cum converteret*, vel *quando convertit Dominus captivitatem*. Similiter Psalm. 141.-4. vel 142. 4. בְּהִתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי *In deficiendo ex me spiritum meum*, idest, *cum deficeret ex me spiritus meus*.

Num. XXXIII.

Verba accipiuntur Hebraice non semper in actu perfecto, sed sæpe in actu continuato, vel tantùm inchoato: Sic Hebræi dicuntur egressi ex Ægypto *vespere*, Deuter. 16. 6. תִּזְבַּח אֶת־הַפֶּסַח בָּעָרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ מוֹעֵד צֵאתְךָ מִמִּצְרָיִם *Sacrificabis Happèsah in vespere juxta venire Solem* ad occasum *statuto tempore, egredi te de Ægypto*, idest, *immolabis Phase vespere ad Solis* occasum *statuto tempore, quando egressus es tu de Ægypto*. Alibi *Noctu* Exod. 12. 42. לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה לְהוֹצִיאָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *Nox custodiarum ipsa Domino ad educendum eos de terra Ægypti*, idest, *Nox observabilis est Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti*. Alibi, *Mane*, Num. 23. 3. Idque quia *Vespere* immolarunt, & comederunt agnum, quod fuit initium egressus. *Noctu* cæsis Ægyptiorum Primogenitis acceperunt à Pharaone veniam, imo mandatum exeundi, & itineri se accinxerunt. *Manè* reipsa, & perfectè egressi sunt. Non rarò inchoationem actus ponunt pro ipso actu: Sic Cant. 1. 7. vel 1. 6. שַׁלָּמָה אֶהְיֶה כְּעֹטְיָה *Ad quid ero quasi declinans*, idest, *quare ero quasi declinans*; Vel, ut Vulg. *Ne vagari incipiam*, idest, *ne divager*.

Num. XXXIV.

Præterea Verbis non actum, sed agendi debitum, & officium Hebræi designant: Sic Prophetæ passim dicunt sub Christo abolenda omnia peccata; Justitiam, pacem, sanctitatem, omnem-

mnemque virtutem toto Orbe germinaturam; quia ſcilicet Chriſtus, quantum eſt ex parte ſua, ita fecit, facitque quotidie, dans nobis gratiam ſuam potentem ad hæc præſtanda, ſi velimus.

Num. XXXV.

Verba realia non rarò accipiunt pro mentalibus, vel verbalibus: Sic Jer. 1. 10. הִפְקַדְתִּיךָ הַיּוֹם הַזֶּה עַל־הַגּוֹיִם וְעַל־הַמַּמְלָכוֹת לִנְתוֹשׁ וְלִנְתוֹץ וּלְהַאֲבִיד וְלַהֲרוֹס לִבְנוֹת וְלִנְטוֹעַ *Conſtitui te die hac*, ſive *hodie ſuper gentes*, & *ſuper regna, ut evellas*, & *deſtruas*, & *diſperdas*, & *diſſipes*, & *ædifices*, & *plantes*. Ideſt, *ut prædices has gentes evellendas*, & *deſtruendas eſſe: illas verò ædificandas*, & *plantandas*.

Num. XXXVI.

Vice verſa, Verba mentalia, vel vocalia, accipiunt pro realibus: Sic Jerem. 4. 12. אֲדַבֵּר מִשְׁפָּטִים אוֹתָם *Loquar judicia cum eis*, ideſt, *infligam eis juſtas pœnas*.

Num. XXXVII.

Verba Neutra non rarò Active exponenda ſunt, & Verba Activa per duplicem actionem more conjugationis Hebraicæ Hiphil: Sic Pſalm. 51. 7. vel 52. 7. וְיִסָּחֲךָ מֵאֹהֶל *Et evellet te ex tentorio* ſive juxta Interpretat. Vulgat. *Emigrabit te de Tabernaculo tuo*, ideſt, *Emigrare faciet te de tabernaculo tuo*: Sic Oſee 8. 4. הֵם הִמְלִיכוּ *Ipſi regnare fecerunt*, ſive, *ipſi Regem ſibi conſtituerunt*, & juxta Interpretationem vulgat. *Ipſi regnaverunt*, ideſt, *ipſi Regem ſibi conſtituerunt*. Sic Jonæ 3. 7. וַיַּזְעֵק, *Et clamavit* juxta Interpretationem vulgat. Ideſt, *Et clamare fecit*, (nempe Rex).

Circa

Circa Adverbia.

Num. XXXVIII.

Adverbii continuâ repetitione Superlativa locutio denotatur: Sic 4. Reg. 10. 4. וַיִּרְאוּ מְאֹד מְאֹד *Et timuerunt valde, valde*, idest, *& timuerunt vehementissimè*. Pleonastice huic voci quandoque præponitur ב *Beth* cum singulari elegantia: Sic Exod. 1. 17. וַיַּעַצְמוּ בִּמְאֹד מְאֹד *Et roborati sunt in valde valde*, idest, *& roborati sunt copiosissimè*, sive *quamplurimum*.

Circa Præpositiones.

Num. XXXXIIII.

Una, eademque Præpositio diversas in diversis Sacræ Scripturæ Locis admittit Interpretationes, puta, *Status; Motus; Comparationis*, &c. ut diximus Cap. V. Num. V. ubi *De voce cum præfixis*.

Circa Conjunctiones.

Num. XL.

In more positum est Hebræis, & Chaldæis libros suos ordiri à particulis, quæ ad alia, quæ non extant, referuntur; puta, à particulis: *Ab*, *Et*, *Igitur*, *Autem*, *Ergo*, &c. ut habetur initio Levit. Numer. Josue: Ita etiam 2. 3. 4. Reg. 2. Paralip. 2. Esdr. &c. idque quia Scriptores isti animo contemplabantur rem præteritam, ad quam illud, quod scribebant, per istiusmodi particulas volebant referri; sive res illa scripta jam esset in alio volumine, quod non ex-

extat, ſive mente tantummodo fuerit comprehenſa.

Num. XLI.

Particula אִם *Si* præter ſignificationes, quas habet communes cum Latinis, ſumitur etiam ab Hebræis pro *Non*, idque cùm juramentum præceſſerit: Sic 3. Reg. 17. 1. חַי־יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר עָמַדְתִּי לְפָנָיו אִם־יִהְיֶה הַשָּׁנִים הָאֵלֶּה טַל וּמָטָר *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſteti, ſi erit annis his ros, aut pluvia*. Ideſt, *vivit Dominus Deus Iſrael*, ſive, *Juro per Dominum Deum Iſrael, in cujus conſpectu ſto, quod non erit annis his ros, aut pluvia*. Cùm verò Oratio fuerit negans, particula אִם *Si* vertit illam in affirmantem: Sic Iſa. 14. 24. נִשְׁבַּע יְהוָה צְבָאוֹת לֵאמֹר אִם־לֹא כַּאֲשֶׁר דִּמִּיתִי כֵּן הָיָתָה *Juravit Dominus Exercituum dicendo, ſi non ut putavi, ita erit*, ideſt, *Juravit Domiuus Exercituum dicendo, quod ut ipſe putavit, ita erit*. Idem accidit in juramentis imprecatoriis: Sic Iſa. 5. 9. אִם־לֹא בָּתִּים רַבִּים לְשַׁמָּה יִהְיוּ, *Si non domus multæ in deſolationem erunt*, ideſt, *Quia domus multæ in deſolationem erunt*. Similiter juramenta exprimunt Hebræi per formulam, *Levare manum*: Sic Geneſ. 14. 22. הֲרִמֹתִי יָדִי אֶל יְהוָה אֵל עֶלְיוֹן *Levavi manum meam ad Dominum Deum Altiſſimum*, ideſt, *Juravi per Dominum Deum Altiſſimum*.

Circa Varia.

Num. XLII.

Propter exiguum numerum Radicum, ſeu Thematum Linguæ Sanctæ, quæ non ſunt, niſi 1022. à quibus omnia Nomina, & Verba derivantur, frequenter Hebræi uno, eodem-

demque Nomine, vel Verbo, vel etiam sententiâ, res diversas significant, unde natæ sunt diversæ Interpretationes, de quibus egimus Cap. V. Num. II. III., & IV.

Num. XLIII.

Quia una, eademque Persona multoties plura nomina habebat, inde factum est, quod unus, idemque nunc uno, nunc alio nomine vocatur in Scripturis: Sic Gen. 26. 34. Uxor Esau dicitur אֶת־יְהוּדִית בַּת־בְּאֵרִי הַחִתִּי *Judith Filiam Beerî Ethæi*. Et postea Genes. 36. 2. dicitur אֶת־עָדָה בַּת־אֵילוֹן הַחִתִּי *Ada filiam Elòn Ethæi*.

Num. XLIV.

Decem Tribus Israel, quando distinctæ erant ab aliis duabus tempore Roboam, & sub diverso Rege usque ad Captivitatem Babylonicam, sæpe à Prophetis vocantur *Ephraim*, sæpe *Joseph*, quia ex Ephraim filio Joseph ortus est Jeroboam, qui primus Schisma fecit, & decem Tribus à domo David abduxit, sibique ascivit juxta prophetiam Ahiæ 3. Reg. 11. 29. Vocantur etiam *Samarìa*, quia in Samaria, & in Tribu Ephraim erat sedes Regum Israel. Itidem vocantur *Israel*, vel *Jacob*, quia erant major pars filiorum. Duæ verò reliquæ Tribus vocantur *Regnum Juda: Domus David: Jerusalem*, vel *Sion*. Sed post captivitatem Babylonicam, *Israel*, & *Juda* pro eodem populo accipiuntur, scilicet, pro *Judæis è Babylone reductis in Judæam*, qui majori ex parte erant de *Tribu Juda*, & si qui alii ex aliis Tribubus hinc inde eòdem reversi sunt, junxerunt se Tribui Juda, unde omnes indiscriminatim nunc *Israelitæ*, nunc *Judæi* vocabantur.

E Num.

N u m. XLV.

Quando Scriptura nominat *Orientem*, vel *Occidentem*; *Meridiem*, vel *Aquilonem*, intelligenda est semper respectu Civitatis *Jerusalem*, vel *Terræ Sanctæ*, vel *Judææ*, sitæ in medio quasi Orbis habitati: quia Codicis Sacri Scriptores fuerunt omnes Judæi, & ad Judæos scribebant: Sic Dan. cap. 11. prædicit *Reges Austri* conflicturos cum *Regibus Aquilonis*, idest, *Reges Ægypti* cum *Regibus Syriæ*, nempe *Ptolomæos* cum *Antiochis*: Sic *Assirii*, & *Chaldæi* vocantur *Aquilonares* respectu scilicet *Judææ*. Sic Jer. 1. 14. habetur מִצָּפוֹן תִּפָּתַח הָרָעָה *Ab Aquilone pandetur* omne *malum*, idest, *E Babylone pandetur omne malum*. Occidens in Scripturis sæpe vocatur *Mare*, eò quòd *Mare Mediterraneum*, quod Palestinam attingit, Judææ sit majori ex parte ad *Occidentem*: Quia verò idem *Mediterraneum* ex parte ipsi Judææ est ad *Austrum*, ideo *Mare* accipitur etiam in Scripturis pro *Australi Plaga*: Sic Psalm. 106. 3. vel 107. 3. מִמִּזְרָח וּמִמַּעֲרָב מִצָּפוֹן וּמִיָּם *A Solis Ortu*, & *Occasu*; *ab Aquilone*, & *Mari*, idest, *Austro*. Præterea *Meridies* vocatur *Dextera*; *Septentrio*, *Sinistra*, eò quòd convertenti faciem ad *Orientem* talis sit partium illarum situs.

N u m. XLVI.

Voces, *Non amplius*; *Non ultra*; *Æternum*; *Seculum*; *Generatio*; *Generationes*, sæpe non significant absolutam æternitatem, seu durationem interminabilem, sed solum diuturnam durationem, & quasi humanam æternitatem, idest longum tempus, cujus finis ab homine jam vivente non videtur: Sic Ezech. 26. 14. dicitur de Tyro: לֹא תִבָּנֶה עוֹד *Non ædificaberis ultra*, idest, *ad longum tempus*; nam postea reædificata est, & pristinam gloriam resumpsit; unde ab Alexandro Magno rursum vastata est. Sic 1. Paralip. 15. 2. dicitur de

de Levitis, & Arca וּלְשָׁרְתוֹ עַד־עוֹלָם *Et ad ministrandum sibi usque in æternum*, cum tamen nec Levitæ, nec Arca amplius extent. Aliquando addunt sententiæ tantum Epitasin, quæ rem valde exageret: Sic 2. Reg. 3. 28. נָקִי אָנֹכִי *Mundus ego*, sive, *Mundus sum* in sempiternum, ideſt, toto Cœlo abſum à cœde tam impia, tam perfida.

NUM. XLVII.

Una pars hominis physica, puta, *Caro*, vel *Anima*, vel *Sanguis* sæpe pro toto homine ponitur; Sic etiam *Caput* pro homine: ut Geneſ. 40. 19. יִשָּׂא אֶת־רֹאשְׁךָ Auferet Pharao *caput tuum*, ideſt, *te*; neque enim præciſum eſt illi *caput*, ſed ut mox ſubditur; *ſuſpenſus eſt in Cruce:* Etiam una pars Logica, ut *Genus* pro *Specie:* Verbi gratia, *Tempus* pro *Anno;* Sic Dan. 7. 25. עִדָּן וְעִדָּנִין וּפְלַג עִדָּן *Tempus*, *& Tempora*, *& dimidium Temporis* pro *Tribus Annis*, *& medio*. Vel contra *Species* pro *Genere:* Sic Iſa. 1. 15. *Sanguis*, ſeu *homicidium* pro *quovis peccato*. *Peſtis*, & *gladius*, pro *quavis clade*. *Juſtitia*, & *miſericordia* pro *quavis virtute*, ut Pſalm. 111. 9. vel 112. 9. Etiam *Materia* pro re ex ea confecta: Sic 2. Reg. 6. 5. מְשַׂחֲקִים לִפְנֵי יְהוָה בְּכֹל עֲצֵי בְרוֹשִׁים *Ludentes ad facies Domini in omnibus lignis Abietum*, ideſt, *ludentes coram Domino in omnibus lignis abietum*, vel ut Vulgat. *Ludere in omnibus lignis fabrefactis*, ſive *abietum*, pro *Ludere* omnibus inſtrumentis muſicis. Etiam pars una pro altera, ut *Anima* pro *Cadavere:* Sic Num. 9. 6. טְמֵאִים לְנֶפֶשׁ אדם *Immundi ſuper anima hominis*, ideſt, *propter Cadaver*.

NUM. XLVIII.

Nomen Figuræ tribuitur rei figuratæ, & nomina Parentum patronymicè ſumuntur pro Filiis, & Poſteris: Sic *Chri-*

ſtus vocatur *David:* Ezech. 34. 23. וַהֲקִמֹתִי עֲלֵיהֶם רֹעֶה אֶחָד וְרָעָה אֶתְהֶן אֵת עַבְדִּי דָוִיד *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, & paſcet eas, Servum meum Davidh*, vel juxta Vulgat. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcet eas, Servum meum David*. Simili modo, cùm quis mores alterius imitatur, illi tribuitur tanquam proprium, & Gentilitium nomen illius, quem imitatur: Exempli gratia; Iſraelitæ impii vocantur *Sodomitæ*, *Gomorrhæi*. Iſa. 1. 10. שִׁמְעוּ דְבַר־יְהוָה קְצִינֵי סְדֹם הַאֲזִינוּ תּוֹרַת אֱלֹהֵינוּ עַם עֲמֹרָה *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus Legem Dei noſtri Populus Gomorrhæ*. Et Ezech. 16. 45. vocantur *Amorrhæi:* dicitur enim ibi: וַאֲבִיכֶן אֱמֹרִי *Et pater veſter Amorrhæus*.

Num. XLIX.

Urbes, quaſi Mulieres eſſent, ab Hebræis paſſim vocantur *Filiæ*. Cùm verò eas notare volunt de idololatria, vocantur *Meretrices:* Quandoque vocantur *Virgines:* Sic 4. Reg. 19. 21. בְּתוּלַת בַּת צִיּוֹן *Virgo filia Sion*. Simili modo *Filios*, vel *Filias* alicujus vocant, quod ex alio extrahitur, & quaſi paritur: Sic Lament. Jer. 3. 13. *Sagittas* vocant *Filias pharetræ;* vel ut eſt in Hebræo בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ *Filios pharetræ ſuæ*. Sic Iſa. 21. 10. *Frumenti grana excuſſa* vocant *Filios areæ;* Vel ut eſt in Hebræo מְדֻשָׁתִי וּבֶן־גָּרְנִי *Trituratio mea, & filius areæ meæ*. Iſa. 23. 10. *Inſulam Tyrum* vocant *Filiam Maris*, Hebraice בַּת־תַּרְשִׁישׁ *Filiam Tarſchìſch*, ſive *Tarſis*. Sic Rabbini *Acetum* vocant: בֶּן יַיִן *Filium vini*.

Num. L.

Sæpè Potentiam, vel Actum potentiæ pro Objecto ponunt: Sic *Timorem* pro re, quæ timetur: ut Geneſ. 31. 42.

42. וּפַחַד יִצְחָק הָיָה לִי *Et timor Isaac affuisset mihi*. Sic *Spem* pro *re sperata*, ut Proverb. 12. 13. תּוֹחֶלֶת מְמֻשָּׁכָה מַחֲלָה לֵב *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Sic *Auditum* pro *re audita:* Sic Isa. 53. 1. מִי הֶאֱמִין לִשְׁמֻעָתֵנוּ *Quis credidit auditui nostro?*

N u m. LI.

Sæpe loquuntur Scripturæ de Deo humano more, cùm ei tribuunt humanam formam, *os*, *oculos*, *manus*, *pedes* &c. Item, animi passiones, scilicet, *amorem*, *gaudium*, *exultationem*, *iram*, *indignationem*, & alia istiusmodi, ut humano captui se accomodent, cùm Deus sit purus Spiritus, omnisque prorsus passionis expers.

N u m. LII.

Frequenter utuntur Hebræi Hieroglyphicis, Symbolis, & Ænigmatibus: Sic Jerem. cap. 25. 38. מִפְּנֵי־חֲרוֹן הַיּוֹנָה *A facie iræ Columbæ:* Et cap. 46. 16. מִפְּנֵי חֶרֶב הַיּוֹנָה *A facie gladii Columbæ;* cùm tamen per *Iram*, & *gladium Columbæ* intelligunt iram, & gladium Chaldæorum, in quorum labaro erat Columba argentea pennis inauratis, Semiramidem repræsentans. Sic Dan. 4. per Ænigma *arboris* describitur Imperium Nabuchodonosoris. Cap. 7. Per *quatuor bestias* repræsentantur quatuor Monarchiæ. Cap. 8. Per *hircum*, & *arietem* repræsentantur Alexander Magnus, & Darius, & alia istiusmodi.

N u m. LIII.

Aliquando per *μίμησιν*, seu *imitationem* alludit Scriptura ad Fabulas Poëtarum: Sic Job 21. 33. citat *Glareas cocyti:*

Isa. 34. 14. citat *Onocentauros*, & alia istiusmodi; non quod fabulas approbent Prophetæ, sed ut modo loquendi vulgi sese accomodent. Qui plura desiderat, consulat Thesaur. Buxtorf. & Prologomen. Briani Waltoni, quos in hac collectione Authores habui.

C A P. XIII.

De Figuris, quæ præcipuè in hoc Lexico observantur.

I.

ANaphora, Grecè Ἀναφορά, Relatio: Figura, quæ fit cùm unum ad aliud refertur, estque ejusdem partis Orationis per diversa membra repetitio. *Vide* בְּנְדִיבִים

II.

Anastrophe, Græcè Ἀναστροφή, Inversio, præpostera rerum, seu verborum collocatio. Figura, seu conversio retrorsum, vel in contrariam partem reciprocatio. Item, reversio, reditus; fitque cùm sententiam promimus ordine converso. *Vide* יֵשׁשׁ a.

III.

Antimeria, Græcè Ἀντιμερεία, Figura, quæ fit, cùm pars pro parte ponitur. *Vide* הָאֶחָד a.

IV.

Antiphrasis, Græcè Ἀντίφρασις, Sermo per contrarium intelligendus, seu Figura, quæ fit quoties verba sonant diversum ab eo, quod intelligimus. *Vide* בָּרֵךְ b.

V.

V.

Antiprosopon, Græcè Ἀντιπρόσωπον, Oppositam, seu obversam faciem referens; Est Figura, quæ fit potissimum, quando pro homine ingrato persona gratissima ponitur. *Vide* הַשְּׁמוּ.

VI.

Antiptosis, Græcè Ἀντίπτωσις, Figura, quæ fit cùm Casus pro Casu ponitur. *Vide* וַיְּעַשׂ.

VII.

Apocope, Græcè Ἀποκοπή, Amputatio; Figura, quæ fit cùm ultima litera, vel syllaba tollitur.

VIII.

Aphæresis, Græcè Ἀφαίρεσις. Abscissio, Figura, quæ à principio dictionis literam, vel syllabam aufert.

VIII.

Apostrophe, Græcè Ἀποστροφή. Aversio, conversio; Figura, quæ fit quoties ad diversas personas verba convertimus.

X.

Auxesis, Græcè Αὔξησις. Augmentum, incrementum; Est figura, quæ aliquando quædam nomina per membra singula rerum argumenta congeminat. *Vide* וּמְרִים a.

XI.

Catachresis, Græcè Κατάχρησις. Abusio, Figura, quâ nomen simile rebus tribuitur, quibus nomen illud non convenit, sive quoties aliena rerum nomina, non habentibus, tribuuntur. *Vide* אֲגַרַע.

XII.

Characterismos, Græcè Χαρακτηρισμός. Figura, quâ vita alicujus describitur, sive quæ rem, aut personam cum præsentem, tum absentem spiritualibus oculis subministrat. *Vide* בְּרָכוֹת c.

XIII.

Climax, Græcè Κλίμαξ. Scala, gradatio. Figura, quæ fit quoties ab una re ad aliam, positis quasi gradibus, gradatim ascendimus. *Vide* כְּרָמִים.

XIV.

Crasis, Græcè Κρᾶσις. Mixtio, mixtura, commixtio. Figura, seu duarum vocalium, vel vocalis, & Diphthongi, vel duarum Diphthongorum in unam syllabam coitio, unum efficiens sonum ex ambabus mixtum, mutatione duarum literarum in unam tertiam factâ. *Vide* לֵאמֹר f.

XV.

Diaphoresis, Græcè Διαφόρησις. Differentia. Figura, per quam fit potissimum personarum differentia, ut inter justum, & injustum. *Vide* יְנוּתַן.

XVI.

XVI.

Diatypoſis , Græcè Διατύπωσις . Delineatio , diſpoſitio ; expreſſio , formatio , informatio . Figura ubi rebus , perſonis, vel ſubjectis , & formæ ipſæ , & habitus exprimuntur . *Vide* בְּכַעַס .

XVII.

Ænigma , Græcè Αἴνιγμα . Obſcura allegoria , vel quæſtio obſcura . Figura , quâ res difficilè intelligitur , niſi aperiatur . *Vide* הַחִידָה .

XVIII.

Ætiologia , Græcè Αἰτιολογία . Cauſæ redditio . Figura, quæ fit quoties præmiſſæ rei decora ſubjungitur ratio , *Vide* וַיִּגַל .

XVIIII.

Ellipſis , Græcè Ἔλλειψις . Deficientia , defectus . Figura, quæ fit cùm aliqua vox deeſt Orationi . *Vide* אַדִּירוּ .

XX.

Emphaſis , Græcè Ἔμφασις . Significatio , expreſſio . Figura , quæ fit cùm plus intelligendum relinquitur , quàm exprimitur ; Eſt etiam Emphaſis in una tantùm voce , quæ ſignificantior ſit , & gravior cœteris , ſeu quæ plus quàm dicit , vel etiam id, quod non dicit, ſignificat. *Vide* וּפְשָׁעַי .

XXI.

Enallage , Geæcè Ἐναλλαγή . Permutatio , Figura , quæ fit

fit cùm pars pro parte ponitur, vel accidentia partium permutantur. *Vide* אֶחָד. b.

XXII.

Endiadys, Græcè 'Ενδιαδύς. Unum per duo. Figura, quæ fit cùm unum in duo dividimus. *Vide* בִּרְקִיעַ.

XXIII.

Energia, Græcè 'Ενεργεία. Evidentia, repræſentatio, illuſtratio. Figura quâ res ita deſcribitur, ut cerni videatur. *Vide* וָאַקְשֵׁהוּ.

XXIV.

Epanalepſis, Græcè 'Επανάληψις. Repetitio dictionis, ſive ſententiæ. Figura, quæ fit cùm repetitione dictionis, ſive ſententiæ poſt aliqua interjecta. *Vide* דְּמִי.

XXV.

Epanodos, Græcè 'Επάνοδος. Reditus, regreſſio. Figura, quæ ſit cùm reditur ad eandem vocem, vel rem, ſive cùm fit repetitio rerum, quæ junctim dictæ ſunt. *Vide* חָסֵב.

XXVI.

Epenthesis, Græcè Ε'πένθεσις. Impoſitio, appoſitio. Figura, quæ fit quoties in medio vocis apponitur Syllaba, vel Litera. *Vide* כֻּלְּהֶם.

XXVII.

XXVII.

Epexegeſis, Græcè 'Ἐπεξήγησις. Appoſitio, probatio. Figura, quæ ſit quoties uni cauſæ duas probationes apponimus. *Vide* יְשַׁבֵּעַ.

XXVIII.

Ephegeſis, Græcè 'Ἐφήγησις. Expoſitio. Figura, quæ ſit quoties quæ prius dicta ſunt, exponuntur. *Vide* גוֹל c.

XXVIIII.

Epicherema, Græcè 'Ἐπιχείρημα. Argumentum, conatus, aggreſſio, ratio, approbatio. Figura, quæ ſit quoties rem, de qua agimus, per exemplum probare contendimus. *Vide* אוֹרִי.

XXX.

Epidiorthoſis, Græcè 'Ἐπιδιόρθωσις. Correctio, Figura quæ repræſentat ſuperioris rei cognitionem. *Vide* וִישׁוּעָתִי.

XXXI.

Epimone, Græcè 'Ἐπιμονή. Perſeverantia. Figura, quâ ejuſdem dictionis, ſive membri crebra geminatio ſit cùm impetu pronunciationis. *Vide* אֵיבִי.

XXXII.

Epiphonema, Græcè 'Ἐπιφώνημα. Acclamatio. Figura, quâ ſumma acclamatio ſit ſuper aliqua re narrata, vel probata. *Vide* וְשִׁבְתִּי.

XXXIII.

Epitasis, Græcè Ἐπίτασις. Figura, quæ exagerationem significat, & fit quando utimur verbo vehementiori pro minus vehementi. *Vide* וַיָּנִיעוּ.

XXXIV.

Epitrochasmos, Græcè Ἐπιτροχασμός. Figura, quâ res magnas, & diversas celeritate quadam percurrimus, & succinctè ea, quæ sunt effusius dicenda, perstringimus. *Vide* אֶחְסַר.

XXXV.

Epizeuxis, Græcè Ἐπιζεύξις. Combinatio, conduplicatio, conjugatio. Figura, quæ fit quoties in uno versu sermonem sine aliqua interpositione geminamus. Eadem est ac Epimone. *Vide* סְכוּתָה.

XXXVI.

Erotema, Græcè Ἐρώτημα. Interrogatio, quæstio. Figura, quæ fit quoties de aliqua re interrogamus. *Vide* וּלְאֻמִּים.

XXXVII.

Ethopæia, Græcè Ἠθοποιΐα. Morum, affectuumque expressio, seu figuratio moralis. Figura, quæ fit potissimum, cùm aliquem ad loquendum introducimus. *Vide* יִמְצָאֻנְנִי.

XXXVIII.

Euphenismus, Græcè Εὐφημισμός. Figura, quæ fit quoties res ingratas, & odiosas mitioribus vocalibus exprimimus, vel etiam Ironicè. *Vide* אֲשָׁאִיר.

XXXVIIII.

XXXVIIII.

Exallage, Græcè Ἐξαλλαγή. Immutatio, permutatio; diverſitas. Figura, quâ res immutatur. *Vide* וּבְחָרוּנוּ.

XL.

Exetaſmos, Græcè Ἐξετασμός. Exquiſitio, inquiſitio; quæſtio. Figura, quæ fit cùm res plures diviſas cum interrogatione exquirentes, ſingulis, quæ conveniunt, applicamus. *Vide* לְמִרְמָה.

XLI.

Heteroſis, Græcè Ἑτέροσις. Aliena. Figura, quæ fit cùm ponitur abſtractum pro concreto, ſeu aliud pro alio. *Vide* וְנַגִּשָׁךְ.

XLII.

Hieroglyphicè. Græcè Ἱερογλυφική. Figura, ſeu Ars ſcribendi non per literas, ſed per ſculpturas animalium, aliarumque rerum figuras; qui modus uſurpatur etiam in aliis rebus, dummodo res una per aliam demonſtratur. *Vide* הַיּוֹנָה. b.

XLIII.

Homœoptoton, Græcè Ὁμοιόπτωτον. Similium caſuum; aut ſimiliter cadens. Figura, quæ fit cùm in ſimiles ſonos diverſa membra exeunt. *Vide* וְזִמְּרוּ.

XLIIII.

Homœoſis, Græcè Ὁμοίωσις. Similitudo. Figura, quæ fit

fit cùm ex similitudine cogniti devenimus in cognitionem incogniti, sive per quam declaratur res minus nota ex similitudine ejus, quæ magis nota est. *Vide* כְּעֵינֵי a.

XLV.

Homoëoteleuton, Græcè Ὁμοιωτέλευτον. Similiter finitum, similiter desinens. Figura, quæ fit cùm plura verba in eandem vocem finiunt. *Vide* רְצִירח.

XLVI.

Homoptoton, eadem Figura, ac Homoëoptoton.

XLVII.

Hypallage, Græcè Ὑπαλλαγή. Suppositio, submutatio. Figura, quæ fit cùm unum pro altero subjicitur, seu cùm aliquid præposterè effertur. Eadem est, ac Exallage. *Vide* אֲכָל. L.

XLVIII.

Hyperbaton, Græcè Ὑπερβάτον. Transgressio, transcensio. Figura, quæ fit quoties partes Orationis, neglectâ simplici, & vulgari dispositione, variò inter se commutantur, sive cùm suspensus Verborum Ordo inferius explicatur. *Vide* בִּמְצְלִיחַ.

XLVIIII.

Hyperbole, Græcè Ὑπερβολή. Exuperantia, excessus, superjectio. Figura, quâ res aliqua præter veritatem augetur, vel minuitur. *Vide* אַמְסֵרח.

L.

L.

Hyperthesis, Græcè Ὑπέρθεσις. Superpositio, superlatio. Figura, quâ aliquam rem opinione omnium notam sententiâ nostrâ superare contendimus. *Vide* וַיָּעַף c.

LI.

Hypozeuxis, Græcè Ὑποζεύξις. Subconjunctio. Figura locutionis, quæ fit cùm diversa verba singulis apta clausulis redduntur, sive cùm diversæ clausulæ singulis verbis redduntur. *Vide* בְּעֵצָת.

LII.

Hyrmos, Græcè Ὑρμὸς. Convenientia, vel vinculum. Figura, quæ fit quando series Orationis tenorem suum servat ŭsque ad ultimum, ubi nec persona alia, nec causa mutatur. *Vide* וּבִגְבוּרָתְךָ.

LIII.

Ironia, Græcè Εἰρωνεία. Illusio, irrisio, simulatio. Figura, quâ aliquid per contrarium dicitur, & per illusionem; sive, per quam Orator totam suam mentem, & voluntatem fingit. *Vide* גּוֹל a.

LIIII.

Ison, Græcè Ἴσον. Æquale. Figura, quæ fit cùm res aliquæ æqualitate, sive parilitate similes, adhibitâ laude, vel detractione, junguntur. *Vide* כָּאָרִי.

LV.

Leptologia, Græcè Λεπτολογία. Tenuis, sive subtilis locutio.

catio. Figura, quæ fit, quando res ſingulæ minutatim, & ſubtiliter indicantur. *Vide* מְדַבֵּר b.

LVI.

Liptoten, Græcè Λείπτοτεν. Defectus, attenuatio. Figura, quæ fit quando utimur verbo minus vehementi pro vehementiori. *Vide* הַתְהוֹ.

LVII.

Metabole, Græcè Μεταβολή. Trajectio, mutatio. Figura, quæ fit, contrariis ita diſpoſitis, ut à priori poſterius proficiſcatur; ſive eſt Iteratio unius rei ſub varietate verborum. *Vide* אֲמָרַי e.

LVIII:

Metaphora, Græcè Μεταφορά. Translatio, Figura, quæ fit cùm vocabula à ſuis rebus, quarum propria ſunt, ad alias res diverſi generis, vel ſpeciei, cum ſimilitudine transferuntur, ſive cùm mutatur vocabulum ex eo loco, ubi proprium eſt, in eum, in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius. *Vide* יְגִיעֵי b.

LIX.

Metaſtaſis, Græcè Μετάςασις. Translatio, tranſmutatio. Figura, quæ fit cùm culpam in alium transferimus, præcipue quando in judicium vocari non poteſt. *Vide* אִישִׁים.

LX.

Metatheſis, Græcè Μετάθεσις. Tranſpoſitio. Figura quæ fit

fit quando literarum Ordo immutatur *Vide* אִמּוּת e.

LXI.

Metonymia, Græcè Μετωνυμία. Transnominatio, denominatio. Figura, per quam ponitur causa pro effectu, vel contra; Aut ponitur continens pro re contenta; vel signum pro re significata; vel quoties intellectum rei diversis modis, verbis alienis, & translatitiis indicamus. *Vide* מְבֹאוֹ.

LXII.

Metriasmos, Græcè Μετριασμός. Mediocritas, quæ fit quoties res magna mediocri relatione profertur. *Vide* כַּמָּה a.

LXIII.

Mimesis, Græcè Μίμησις. Imitatio morum alienorum. Figura, quâ verba, vocem, gestum, aut mores alicujus imitamur. *Vide* הֲפוֹךְ.

LXIIII.

Parabola, Græcè Παραβολή. Collatio, comparatio. Figura, quæ fit quoties res genere dissimiles, comparantur. *Vide* וְשַׁלְּחוּ.

LXXV.

Paradigma, Græcè Παράδειγμα. Comparatio, exemplum facti, vel dicti alicujus. Figura, quæ fit potissimum, cùm per exemplum aliquem hortamur, vel deterremus. *Vide* אֲנָשֶׁיךָ.

LXVI.

Paradoxon, Græcè Παράδοξον. Inopinatum, dictum admirabile, & præter opinionem omnium hominum, sive Exitus inopinatus, cùm aliud proponitur, aliud explicatur. *Vide* אִמְרַת b.

LXVII.

Paragoge, Græcè Παραγωγή. Figura, quæ fit cùm in fine vocis litera, vel syllaba adjungitur. *Vide* בְּהֵמָה a.

LXVIII.

Paralepsis, eadem Figura, ac Paragoge.

LXIX.

Paranomasia, Græcè Παρονομασία, vel Παρωνυμία Paronymia. Agnominatio, appellatio denominativè facta, Denominatio. *Vide* בְּשׁוּבְכֶם.

LXX.

Paraprosdocia, eadem figura, ac Paradoxon.

LXXI.

Parenthesis, Græcè Παρένθεσις. Interpositio, interjectio, interruptio. Figura, quæ fit quoties, remota de medio sententia, integer sermo perdurat. *Vide* לְפְעָלוֹת.

LXXII.

Parison, Græcè Πάρισον. Æquale. Figura, quæ fit quoties

ties duæ res diverſæ ponuntur, ſed una magis eligitur. *Vide* כַּחֲצָרֶיךָ.

LXXIII.

Paroemia, Græcè Παροιμία. Figura, ſeu Proverbium quod multorum ore frequentatur. *Vide* כָּזָב b.

LXXIV.

Peuſis, Græcè Πεῦσις. Interrogatio, percontatio. Figura, quæ fit quoties interrogationem reſponſio ſubſequitur. *Vide* יִרְאֻנוּ.

LXXV.

Pleonaſmus, Græcè Πλεονασμός. Abundantia, redundantia. Figura, quæ fit cùm ſupervacanea verba in Oratione ponuntur. *Vide* אַשְׁמַנָּה.

LXXVI.

Polyſyndeton, Græcè Πολυσύνδετον. Eadem Figura, ac Polyſyntheton.

LXXVII

Polyſyntheton, Græcè Πολυσύνθετον. Figura Verborum per adjectionem, per quam eadem conjunctio in membris, vel inciſis Orationis frequenter reperitur. *Vide* סְפִינוּ.

LXXVIII.

Procatalepſis, eadem Figura, ac Paragoge.

LXXIX.

Prolepſis, eadem Figura ac Paragoge.

LXXX.

Propanalepſis, eadem Figura ac Paragoge.

LXXXI.

Prophoneſis, Græcè Προφώνησις. Allocutio, compellatio, exclamatio. Figura, quæ fit quoties inter alia, quæ loquimur, ad Deum ſubitò, vel ad quempiam verba convertimus. *Vide* בִּמְגוּרָם.

LXXXII.

Proſopopœja, Græcè Προσωποποιΐα. Sermocinatio, conformatio. Figura ſententiarum, per quam Perſonæ, vel aliæ res loquentes inducuntur; vel ad ſuadendum, vel ad objurgandum, vel ad querendum, vel ad laudandum, vel ad movendum miſerationem, vel cùm fingitur rem inanimatam loqui ad animatum, & contra. *Vide* דְּכָיִם.

LXXXIII.

Sarcaſmus, Græcè Σαρκασμός. Irriſio, quæ fit diductis labiis, oſtenſiſque dentibus more canum. *Vide* אֲבְנֵיהֶם.

LXXXIV.

Somatopœja, Græcè Σωματοποιΐα. Corporis factiva, ideſt attributio. Figura, quæ fit quando rebus incorporeis corpora tribuuntur. *Vide* נִפְגְּשׁוּ.

LXXXV.

LXXXV.

Syllepsis, Græcè Σύλληψις. Conceptio, comprehensio, Figura, per quam ponitur aliquod verbum, vel in principio, vel in medio, vel in fine, quod alia etiam membra ejusdem Periodi regere, & sustentare debeat, sed in iis assumitur cum aliqua mutatione, vel generis, vel numeri, vel alterius accidentis. *Vide* וְעָלֵיהוּ.

LXXXVI.

Synathroesmos, Græcè Συνάθροισμός. Congeries, congregatio. Figura, quæ fit quoties multa simul coacervamus. *Vide* אֱמוּנִים.

LXXXVII.

Synchoresis, Græcè Συγχόρησις. Concessio. Figura, quæ fit, quoties aliqua importunè desiderantibus conceduntur, quæ ad eorum utilitatem pertinere non possunt. *Vide* וְתַאֲוָתָם.

LXXXVIII.

Syncope, Græcè Συγκοπή. Figura, quæ fit quoties litera, vel syllaba de medio dictionis, concidirur, vel subtrahitur.

LXXXIX.

Syncrisis, Græcè Σύγκρισις. Comparatio, contentio duorum inter se. Figura, quæ fit quoties comparatione quadam justiorem causam nostram, quàm aduersariorum demonstramus, Figura eadem, ac Antithesis.

LXXXX.

Syndicasmos, Græcè Συνδικασμός. Judicium, collatio. Fi-

Figura, quæ fit quando ſibi, aut perſonæ, aut cauſæ, ſive ex contrario, ſive ex ſimili comparantur. *Vide* אֲמָרוֹת b.

LXXXXI.

Synecdoche, Græcè Συνεκδοχή. Comprehenſio, intellectio. Figura, quæ fit quoties pars pro toto, vel vice verſa; aut antecedentia pro conſequentibus, vel vice verſa, uſurpantur. *Vide* בְּשָׂרְךָ.

LXXXXII.

Tapinoſis, Græcè Ταπείνωσις. Humiliatio. Figura quæ fit quoties magnitudo mirabilis rebus humillimis comparatur. *Vide* וּבְזוּי.

LXXXXIII.

Tautologia, Græcè Ταυτολογία. Ejuſdem rei eloquium. Figura, quæ fit cum ejuſdem ſermonis, vel ſententiæ per alia, atque alia verba repetitione. *Vide* אָבַד h.

LXXXXIV.

Zeugma, Græcè Ζεῦγμα. Adjunctio. Figura verborum per detractionem, quâ plures Sententiæ uno verbo connectuntur, ſeu per quam ponitur aliquod verbum vel in principio, vel in medio, vel in fine Periodi, quod alia etiam membra ejuſdem Periodi regere, & ſuſtentare debeat, ſine ulla mutatione generis, vel numeri, vel alterius accidentis. *Vide* וּבְעִירָם. a.

C A P. XIV.

De Indice Verſiculorum, qui in hoc Lexico interpretantur.

Tandem ut hoc noſtrum Lexicon uſui eſſet, & adjumento, non ſolum Linguæ Sanctæ ſtudioſis; ſed illis etiam, qui

qui rebus aliis occupati, ipſam nec à limine ſalutare voluerint; ad calcem Operis Indicem exhibui omnium Verſiculorum, qui in hoc Lexico interpretantur, eumque per Columnas, ſervato Ordine Librorum Sacri Codicis, ut ſequens Paradigma oſtendit; ita ut in prima Columna inveniantur omnes Verſiculi, quos interpretatus ſum ex libro Geneſis: In ſecunda, quos ex libro Exodi: In tertia, quos ex libro Levitici; & ſic de ſingulis, cum Citatione ſemper Paginarum, in quibus Interpretatio quæſiti Verſiculi exhibetur in corpore. Hoc pacto poterit unuſquiſque, cui cordi fuerit Hebraica Veritas, atque Interpretatio, quemlibet ex decem octo millibus, & ſexcentis Verſiculis, qui in hoc Opere interpretantur, facillime invenire, abſque ulla prorſus Linguæ Sanctæ cognitione.

PARADIGMA VERSICULORUM.

Geneſ.	Cap. 1.	Verſ. 1. pag.&c.	Exod.	Cap. 1.	Verſ. 1. pag.&c.
	Cap. 2.	2. pag.		Cap. 2.	2. pag.
	Cap. 3.	3. pag.		Cap. 3.	3. pag.

Hæc ſunt, quæ præſtiti, Benevole Lector: Hæc ſunt, quæ ſcias velim: Si quid peccavi; Si quid non recte feci; laboribus fracto, quæſo, ne vitio vertas; quin potius ſententiæ Græcorum, *Ethnice licet expreſſæ*, memento, quod.

Μηδέν ἁμαρτεῖν ἐςι θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν
'Εν βιοτῇ, μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Dii bene perficiunt quicquid voluere, nec uſquam
Errant; Mortales aſpera fata premunt.
Apud Demoſth. in Orat. *de Corona.*

Datum Caſini Kal. Januar. 1751.

Vale.

PARADIGMATA.

✠ הִקִּיפוּנִי Hikkiphùni. *R.* יָקַף Jakàph. *Circumdare fecerunt me ; Circumdederunt me .*

כִּי סְבָבוּנִי כְּלָבִים עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃

Quoniam circumdederunt me canes , cœtus malefìcorum circumdederunt me : foderunt manus meas , & pedes meos . Pſalm. 21. 17. vel 22. 17.

Vulg. Quoniam circumdederunt me canes multi : conſilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos.

Hier. Quoniam circumdederunt me venatores , conſilium peſſimorum vallavit : Fixerunt manus meas , & pedes meos.

Sept. ex Cod. Rom. Ὅτι ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοί , Συναγωγὴ πονηρευομένων περιέσχον με· Ὤρυξαν χεῖράς μου κ̀ πόδας. *

Verſ. Sept. et Æthiop. Interp. Quoniam circumdederunt me canes multi : Conſilium malignantium obſedit me . Foderunt manus meas, & pedes .

M.S. Alex. Ὅτι ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοί , Συναγωγὴ πονηρευομένων περιέσχον με · Ὤρυξαν χεῖράς μου κ̀ πόδας * μου .

Verſ. Sept. Interp. Quoniam circumdederunt me canes multi : conſilium malignantium obſedit me . Foderunt manus meas, & pedes meos .

Pagn. Quoniam circumdederunt me canes , congregatio malignantium circumdederunt me, foderunt manus meas, & pedes meos .

Ar. Mont. Quoniam circumdederunt me canes ; cœtus malignantium circumdederunt me: quaſi leo manus meas, & pedes meos .

Paraph. Chald. Quoniam vallaverunt me *impii* , qui ſimiles ſunt canibus plurimis : congregratio malignorum circumdedit

me,

me; mordentes *sicut leo* manus meas, & pedes meos.

Quoniam circumdederunt me canes, & cœtus malorum cinxerunt me. Foderunt manus meas, & pedes meos. *Verf. Syriac.*

Circumdederunt me canes multi; obsedit me turba malorum; foderunt manus meas & pedes meos. *Verf. Arabic.*

A N N O T A T I O N E S.

Circumdederunt me canes. *Ideft, circumdederunt me inimici mei, obloquentes contra me, & quasi mordentes ut canes.*

Foderunt manus meas, & pedes meos. *Clavis, scilicet, fixerunt me Cruci. Pro* foderunt *Hodierni Codices Hebræi habent* כָּאֲרִי Kaarì, *quod sonat;* Sicut Leo, *quasi dicat*, Sicut Leo cinxerunt me. *Sed certum est pro* כָּאֲרִי Kaarì *olim fuisse* כָּארוּ Karù *pro* כָּרוּ *Karù* foderunt, *cum Epenthesi, scilicet, literæ* א, *sed vocem esse immutatam, vel à posterioribus Judæis, ut hoc illustre testimonium de Christo nobis eriperent; vel errore recentiorum Librariorum, qui pro* כָּארוּ Karù, *posuerunt* כָּאֲרִי Kaarì *ob similitudinem literarum* ו, & (י), *quæ parvo apice distinguuntur. Quod veteres Codices habuerint* כָּארוּ *Karù* Foderunt, *evincitur tum ex Versione Septuag. qui ante assumptam humanitatem à Christo, posuerunt* ὤρυξαν Foderunt, *tum ex Hieronymo, qui vertit*, Fixerunt, *atque ex aliis, & potissimum ex Codice Manuscripto num. 626., qui asservatur in Bibliotheca Colbert. ubi expressè legitur* כָּארוּ Karù, *quod ostendit vocem esse potius corruptam à recentioribus Librariis, ut jam dictum est. Aquila vertit* ᾔσχυναν, Fœdaverunt, & *Vatabl. ad hunc locum hæc habet*: Varia est lectio Hebræis; scribitur enim כָּרוּ

Fo-

Foderunt, Et in hunc sensum, dicenti Thomæ: *Nisi videro in manibus ejus vestigium*, (sive *figuram*) *clavorum* &c. Christus respondet, *Infer digitum tuum huc*, & *vide manus meas*, & *admove manum tuam*, & *immitte in latus meum*, Johan. 20. 25. & 27. Scribitur & כָּאֲרִי *Sicut Leo*, Subaudi *cinxerunt*, vel *momorderunt me*: Prior lectio verior.

Hier. in Vers. Septuag. Quoniam circumdederunt me canes multi. *Canum proprium est, ut Domino suo congaudeant, & latronem allatrent. Canes hic Judæi intelliguntur, qui allatraverunt Christum, & latroni congavisi sunt, hoc est, Barabbæ: quando illum petierunt, & Christum occiderunt. Quoniam circumdederunt me canes multi: non loquentes recta, sed latrantes iniqua.*

Concilium malignantium obsedit me. *Congregatio Judæorum. Canes multi. Pro canibus in Hebr. habet chelabim* כְּלָבִים *quod Aquila, & Theodotio, Venatores interpretati sunt. Concilium malignantium obsedit me. Judæi obsederunt, idest, circumdederunt Christum.*

Foderunt manus meas, & pedes meos. *Præteritum pro Futuro ponitur. Foderunt, clavos fixerunt, & fructum magnum invenerunt, idest, Salutem Gentium.*

Lyranus. Quoniam circumdederunt me canes multi. *Judæi se habentes ad me non sicut homines, sed sicut canes rabidi.*

Concilium malignantium. *Secundum quod dicitur Matthæi* 27. Manè autem facto concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent: & vinctum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

Foderunt manus &c. *Clavis in cruce perforando. Et licet hoc fecerint milites Præsidis, qui erant Gentiles, hoc tamen factum fuit ad importunam præcem Judæorum.*

Menoch. Canes. *Judæi, & milites, quos supra* vitulos & tau-

& tauros pingues *appellaverat* ;

Malignantium. *Pessimorum*, *ut vertit Divus Hieronymus*.

ANALYSIS GRAMMATICA.

הִקִּיפוּנִי Hikkiphùni. *R.* יָקַף Jakàph. *Circumdare fecerunt me ; circumdederunt me*. Tert. perſ. plur. Præt. Hiphil cum affix. comm. prim. perſ. ſingul. ab abſol. הִקִּיפוּ, & hoc pro הִיְקִיפוּ ob Anomal. prim. rad. (י) quæ abjicitur, & compenſatur per Dagheſch. (.) in ventre ſecund. rad. ק.

Buxtorf. in Concord. *Circumdeder. me*. Col. 1.

✠ חֲסִידָה Haſidhàh *R.* חֶסֶד Hèſedh. Ex 2. ſignif. *Ciconia* : Item, *Struthiocamelus*, *Struthio*.

אֲשֶׁר־שָׁם צִפֳּרִים יְקַנֵּנוּ חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ׃

Quibus illic aves nidificabunt : ciconiæ, abietes domus ejus. Ideſt, in quibus aves nidificant : ciconiarum abietes ſunt domus. Pſalm. 103. 17. vel 104. 17.

Illic paſſeres nidificabunt : Herodii domus dux eſt eorum. *Vulg.*

Ibi aves nidificabunt, milvo abies domus ejus. *Hier.*

Ἐκεῖ ϛρουθία ἐννοσσεύσουσι, Τοῦ * ἐρωδιοῦ ἡ οἰκία ἡγεῖται αὐτῶν. *Sept. ex Cod. Rom.*

Illic paſſeres nidificabunt : Herodii domus dux eſt eorum. *Verſ. Sept. Interp.*

Illic aves parient : Erodii domus dux eſt eorum. *Verſ. Æthiop.*

Ἐκεῖ ϛρουθία ἐννοσσεύσουσι, Τοῦ * ἀρωδιοῦ ἡ οἰκία ἡγεῖται αὐτῶν. *M. S. Alex.*

Vers. Sept. Interp. Illic passeres nidificabunt: Arodii domus dux est eorum.

Pagn. Ut ibi aves nidificent, ciconiæ abietes sunt domus.

Ar. Mont. Ut ibi aves nidificent: ciconiæ abietes domus ejus.

Paraph. Chald. Illic enim aves faciunt nidos: ciconiæ abietes domus habitationis ipsius sunt.

Vers. Syriac. Ibi nidificarunt aves, & ciconiæ nidus est in abietibus.

Vers. Arabic. Illic est, ubi pullos gignunt aves, domus ciconiæ gradiens est ante ipsum.

ANNOTATIONES.

Quibus illic aves nidificabunt. *Formul. Hebraica cum Enallage Futuri pro Præs. quo carent Hebræi, idest, in quibus aves nidificant.*

Ciconiæ abietes domus ejus. *Idest, ciconiarum abietes sunt domus; hoc est, ciconiæ in abietibus nidificant. Meminit peculiariter* ciconiæ, *quod ea in altioribus soleat arboribus nidificare. Enallage Numeri singularis pro plurali, & Ellipsis verbi substant. Quidam pro* ciconia *vertunt*, Herodii, *ut & Septuag. Est autem* ἐρωδιός *quoque genus* Ciconiæ *juxta nonnullos; & pro* abietes *Hebraice* בְּרוֹשִׁים *quidam legentes* בְּרָאשָׁם *quasi sit nomen* ראשׁ Caput, *à* 1. *signif. Radicis* ראשׁ *cum præpositione* ב In, *atque cum affix. mascul. tert. pers. plur.* ם, *quod sonat*, In capite eorum, *vertunt*, Dux est eorum. *Aquila vertit:* ὄρνεα νοσσεύσουσιν. ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ, Aves nidificant: Erodio abietes domus ei *Symmachus*, ὅπου στρουθία νοσσεύσει, τῷ ἰκτῖνι βοράτ οἴκησις, ubi aviculæ nidulantur; milvo abies domicilium est. *Hieronymus Epist. ad Suniam*, Pro *Herodio*, Symma-

machus ἰκτῖνος, ideſt *Milvum* interpretatus eſt. Denique & nos ita vertimus in Latinum, *Ibi aves nidificabunt: Milvi abies domus eſt:* quod ſcilicet ſemper in excelſis, & arduis arboribus nidos facere conſueverit. Unde & *VI.* editio manifeſtius interpretata eſt, *Milvo cupreſſus ad nidificandum*. Hactenus Hieronymus. *Ad vocem verò* חֲסִידָה, *quod attinet, præter recentiores fere omnes, ex Hebræis etiam Rab. Salom. Abenezra, Hiſcuni, & Rab. Levi* Ciconiam *vertunt; imo Rab. Salom. Levit.* 11. 19. *ponit ipſam vocem* Tzigonia, *dicitque ſic appellatam*, quod colat pietatem cum ſociis ſuis, alendo eos. *Et Abnezra*: Eſt avis, quæ ſtatis temporibus anni apparet, ſic dicta à pietate. *Arnob. & Auguſt.* Fulicam *vertunt*, *ſed ea in aquis degit.*

Illic paſſeres nidificabunt. *Sapientes ædificant.* Herodii domus dux eſt eorum. *Herodius major eſt omnibus volatilibus, qui aquilam vincit, & comedit. Igitur talis homo, qui in domo Dei habitat, ducatum præbeat ad vincendum diabolum, quia aquila ſæpe pro diabolo ponitur.* *Hier. in Verſ. Septuag.*

Herodii domus dux eſt eorum *Hebr.* Ciconiæ domus in abietibus, *vel* pinis. *Altiſſimè enim ciconiæ nidificant. Et apte hoc ſubjungitur ei, quod dixerat:* Illic paſſeres nidificabunt. *Vide tamen, ſi placet, de Herodio in Comment. Hieronymo adſcripto.* *Eſtius.*

Illic paſſares nidificabunt. *Aviculæ in genere: nam ut diximus Pſalm.* 101. *num.* 8. צִפּוֹר *Sippor quamlibet aviculam ſignificat.* *Menoch.*

Herodii. *In Hebræo eſt* חֲסִידָה chaſida, *in Græco* ἐρωδιός, *quæ vox ſignificat* Milvum *Hieronymo;* Fulicam *Auguſtino;* Ciconiam *Suidæ;* Ardeam *Plinio*.

Domus. *Nidus*.

Dux eſt eorum. *Vel quod altior, & amplior ſit hujus avis nidus, quàm cæterarum avium, vel quod prima nidum deſtruat.*

He-

Tirinus. Herodii, חֲסִידָה *chasidàh propriè* Ciconiam *significat, quia pia in parentes, quos fovet, & alit. Et ita vertunt Chaldæus, Suidas, Emanuel Sà, & Hæbræi passim, tum hic, tum Job 39. vers. 13. Dicitur verò* Herodius, *inquit Suidas, quasi Helodius, idest, palustris, quia ciconiæ frequentes in paludibus, ut ranas, & anguillas venentur. Porro* domus *idest, nidus. Ciconia meritò dicitur esse* dux *passerum, & reliquarum avium, quia omnes anteit. Primò, tempore: nam prima omnium struit nidum. Secundò, loco, utpote in vertice domorum, & turrium, ut ab omnibus undique conspici possit. Tertiò, amplitudine. Quartò, elegantiâ. Quintò, quia aliæ aves minores in basi, & lateribus nidi ciconiæ sibi nidificant.*

Analysis Grammatica.

חֲסִידָה Hasidhàh *R.* חֶסֶד Hèsedh. Ex 2. signif. *Ciconia*. Item, *Struthiocamelus*, *Struthio*. Nom. Fœmin. singul. in stat. absol. Cæterum de *ciconia* satis dictum est supra in Annotationibus, quod scilicet sit pia, & benigna erga suos. De *Struthiocamelo* verò, sive *Struthione*, quæ avis est impia, & crudelis, quæque per Antiphrasim vocatur etiam חֲסִידָה dictum est in Annotationibus ad vocem אַכְזָרָה Job. 39. 13. vel 39. 16.

Buxtorf. in Concord. *Ciconia*. Col. 6.

✠ חֲסִידָו Hasidhàu. *R.* חֶסֶד Hèsedh. Ex 1. signif. *Benefici, benigni, misericordes, sancti, pii ejus, ipsius, illius, sui*. Nom. mascul. plur. cum affix. mascul. tert. perf. singul. ab absol. plur. חֲסִידִים quod à singul. חָסִיד Cæ-

Cæterum vox eſt cum defectu (ʼ) ante ו finale, ut oſtendit ſuperpoſitum Kerì (∘) & Maſorethæ annotarunt in margine, ſcilicet pro חֲסִידָיו. Cætera vide in וּרְשָׁעִים 1. Reg. 2. 9.

Buxtorf. in Concord. *Benefici ejus*. Col. 5.

✠ חֲסִידָֽי Haſidhài *R.* חֶסֶד Hèſedh. Ex 1. ſignif. *Benefici, benigni, miſericordes, Sancti, pii mei*. Nom. maſcul. plur. cum affix. comm. prim. perſ. pluralis ab abſol. plur. &c. ut in voce præced. Sub. ד eſt Kametz (ָ) loco Pathach (ַ) ob Acc. pauſ. Athnach (֑), ſcilicet pro חֲסִידַי. Cætera vide in אִסְפוּ b. Pſalm. 49. 5. vel 50. 5.

Buxtorf. in Concord. *Beneficos meos*. Col. 5.

✠ חֲסִידְיךָ a. Vide חֲסִידְיךָ b.

חֲסִידְיךָ b.

חֲסִידֶיךָ c.

✠ חֲסִידְיךָ b. Haſidhchà. *R.* חֶסֶד Hèſedh. Ex 1. ſignif. *Beneficus, benignus, miſericors, ſanctus, pius tuus*. Nom. maſcul. ſingul. cum affix. maſcul. ſecund. perſ. ſingul. ob quod Kametz (ָ) quod erat ſub ח, mutat. in Scheva (ְ); & quia ſub guttur. mutatur in Chathephpathach (ֲ); Eſt enim ab abſol. חָסִיד. Cæterum (ʼ) ante ך redundat, ut oſtendit ſuperpoſitum Kerì (°) & Maſorethæ annotarunt in margine; Eſt enim pro חֲסִידְךָ. *Hæc vox in Opere noſtro habet integrum verſiculum. Pſalm.* 15. 10. *vel* 16. 10, *qui brevitatis cauſa hìc relictus eſt*.

Bu-

Buxtorf. in Concord. *Benefico tuo*. Col. 5.

✠ חֲסִידֶיךָ c. Hasidhêcha. *R.* חֶסֶד Hèsedh. Ex 1. signif. *Benefici*, *benigni*, *misericordes*, *sancti*, *pii tui*. Nom. mascul. plur. cum affix. mascul. secund. pers. singul. ab absol. plur. חֲסִידִים, quod à singul. חָסִיד. Cetera vide in וַאֲקַוֶּה a. Psalm. 51. 11. vel 52. 11.

Buxtorf. in Concord. *Benefici tui*. Col. 5.

Præsentem Prodromum eo animo, eoque tantùm fine typis mandavi, ut possint Viri Docti de Opere universo judicare, & societati quamprimum faciendæ se subscribere, si libuerit.

ERRATA	*CORRIGE*
Pag. 9. vers. 13. obscenæ	obscœnæ
Pag. 29. vers. 13. Procerrimæ	Procerissimæ